IOSEPHI EPIPHANII

MINASOWICII

CARMINUM VARIORUM

MANIPULUS.

AUGUSTÆ MASOVIORUM

Typis MITZLERIANIS.

1771.

OVID: Lib. III. de arte amandi.

Cura ducum fuerant olim regumque Pòëtae,
Praemiaque antiqui magna tulêre chori.
Sanctaque maiestas, & erat venerabile nomen
Vatibus, & largae saepe dabantur opes.
Ennius emeruit Calabris in montibus hortos,
Contiguos paené Scipio magne tibi,
Nunc hederae sine honore iacent, operataque doctis
Cura vigil Musis, nomen inertis habet.
Sed famam vigilare iuvat, quis nosset Homerum,
Ilias aeternum si latuisset opus.

Illustrissimo Excellentissimo

REVERENDISSIMOQUE DOMINO

DOMINO

ANGELO MARIÆ DURINI

PATRITIO MEDIOLANENSI
EX COMITIBUS MODOETIÆ
ARCHIEPISCOPO ANCYRANO
In Regno Poloniæ & M. D. Lithv. cum facultatibus Legati à latere
NUNTIO APOSTOLICO &c. &c.

INDULGENTISSIMO
PATRONO SUO.

Josephus Epiphanius Minasowicz Kiioviensis Cathedr. Canonicus, S. R. M. à Secretis.

PERENNEM FELICITATEM.

EXoptanti atque exposcenti Patronum tenuibus Musis meis in publicum prodituris, non diu voto & cogitatione laborandum fuerat, quin Tu mihi statim occurreres ANTISTES ILLUSTRISSIME. Quis

enim Te iis aut prodire metuentibus ſecurius patrocinium, aut iam procedere in publicum auſis, benignius auſpicium præbere potuiſſet? Te inquam Magno Muſarum Phœbique Antistite: Qui inter graves Apoſtolici Tui muneris in hoc ampliſſimo Regno curas, ſacris nihilominùs Muſarum operari non dedignaris: publicisque negotiis ac otiis litterariis, pro rerum temporumque ratione, pari animo & ingenio, utroque videlicet magno, ex æquo Te indulges. Quâ in re Magnorum exempla Virorum, olim in eodem ſtadio decurrentium, quis eſt, qui Te æmulari non videat? Quis, ut antiquiores illos ſilentio, non ſine reverentis tamen animi cultu transeam, Barberinae Muſæ magna ſonanti celebratos:

* *Sacra quibus Pindus praecinxit tempora lauro,*
Pontifices alios inter ſe Damaſus offert,
Cui comes is Gelasi, magnae lux altera Romae.
Ambrosius quoque Caſtaliis labra proluit undis,
Moribus Inſubres decorans - - - -

Quis, inquam, ſæculis noſtris propiores: Piccolomineos, illos ipſos modò memoratos Barberinos, Ghigios, atque omnium recentiores Polignacos, Qvirinos &c. illos, Chriſtiani orbis ſupremos Moderatores: hos verò geminos, priorum hic trium veſtigia ſequentes, Purpuratos Eccleſiæ Patres: ſummo Poëticæ artis excolendæ ſtudio, Te imitari non advertat?

vertat?

* *Maphaeus Barberinus in Poëm. p. m.* 177.

vertat? quibus quemadmodum claritate generis, virtutum fulgore, meritorum præſtantiâ, imitationeque ſtudiorum proximus accedis: ita Eosdem pari dignitatis cum tempore acceſſione imitaturus, augurio non vano colligeris, certòque votis & exſpectationi cunctorum fauſta virtuti precantium, polliceris. Tali igitur Tantoque, quantus es Antistes Jllustrissime, Patrono, quidni Muſæ meæ quantumvis tenues & incultæ, prodire in publicum vereantur? quibus Tu cunctantibus, dudùm benevolentiâ Tuâ, certique ſtipulatione patrocinii, ſtimulum addidiſti. Placuit itaque auctori earum fiduciâ freto, Tuum nutum ductumque ſequi, ſimul & obſequi, hocque levidenſe munuſculum Magnitudini Tuæ offerre, in quo quid à me præſtitum ſit, paucis accipe, Antistes Illustrissime: Sacra primùm præcedere iuſſi, memor Tui illius ſalutaris moniti, in ſelectis verèque aureis Tuis (a) Epigrammatis expreſſi:

Donum insigne Dei, cùm sit veneranda Pôësis,
Auctori debet pſallere grata ſuo.

Sacris Politica, his deinde Onomaſtica & Panegyrica ſuccenturiavi; Juvenilibus demùm & Miſcellaneis agmen extremum claudere iuſſis. Redditâ ad eum modum huiuſce lucubrationis meæ ratione, par equidem erat Antistes Illusrrissime, ut de Divinis Tuis Poëmatis, cœleſtique Tuo in his genio & ingenio

ingenio

(a) *Varſ. hoc anno editis, in 8vo. p. 56.*

ingenio aliquid dicerem, verùm tenuitatis meæ in dicendo optimé conſcius, ea potius mihi tacitâ mente colenda eſſe duxi, quàm forte infra eorum dignitatem, laudibus leviter attingenda. Quis enim in Tuis elegantiſſimis Pòématis maieſtatem Catulliani carminis, ad quam Te altius nemo aſſurrexit, condignè celebret? Quis acrem illum æquè in verbis ac rebus ſpiritum, atque igneam illam & planè cœleſtem carminibus Tuis vim inditam, ſatis congruis laudibus exprimat? Quis demùm varias in iis rerum imagines, nativis ſuis coloribus, non illis anxiè quæsitis, ſed ultrò ad manum venientibus, incredibili facilitate graphicè depictas, convenientibus pro dignitate argumenti encomiis exornet? nemo, ſanè nemo, niſi

(a) *Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque os*
Magna ſonaturum. - - - - - -

Quæ cùm omnia deeſſe mihi arbitrer, adeòque ampliſſimas animi Tui ac ingenii dotes debitis præconiis quàm maximè proſequi volentem, facultas deficiat; ſaltim Apollinari hoc munuſculo, quod Tibi Muſarum Phœbique Delicio venerabundus exhibeo, benevolentiam Tuam demereri mihi ſit integrum. Suſcipe itaque hunc quantulumcunque Carminum JOSEPHI Manipulum, ANTISTES JLLUSTRISSIME, quasdam veluti Pieriæ meſſis primitias, honori Nomi-
nis

(a) *Hor: Lib. I. Sat. 4. v. 42.*

nis Tui ſacratas, nec tàm parvitatem muneris reſpice, quàm Magnitudinem Tuam attende: magnisque alioqui coli aſsuetus, exiguum hoc ingenii obſequiique mei tributum non dedignare, memor illius, quod olim aquoſæ Sulmonis alumnus cecinit:

Juppiter ambrosiâ ſatur eſt, & nectare vivit,
Nos tamen exta Jovi, thura merumque damus,

Suſcipe, inquam, eâ vultûs atque animi Tui ſerenitate, quâ me aliàs Tibi deditum excipere gratioſius aſſoles, atque ſtabili benevolentiæ Tuæ tenore, meque meosque iuxtà proſequi non deſine.

Scribebam Varſaviae
in Ædibus avitis
10. *Cal. Maii, Anno R. S.* 1771.

AD LECTOREM.

Si nec digna legi, nec Apolline digna Polono,
Noſtra Lechæa putas metra: Latina lege.
Quod ſi diſpliceant tibi carmina noſtra Latina,
Sarmata ſi fueris, noſtra Polona lege.
Si nihil ex iſtis, ex illis nilque placebit,
Quæ placeant, chartis ſcribe legenda tuis.

JOSEPHI EPIPHANII

MINASOWICII C. C. K.

I.

CARMINA SACRA.

CORONA STELLARUM XII.

Sive totidem

EPIGRAMMATA

Honori Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis dicata *

Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.
Eccl: 24. v. 30.

I.

JNter ſerpentis ſemen, mulieris & illud,
Ponam inimicitias *a)* dicta fuêre Dei.
Dictaque firmantur, nam expers Conceptio culpæ
Virginis, inferei pœna draconis erat.

A II.

* *Varſaviæ in Academia Mariana, quam* JOSEPH ANDREAS *Comes* JUNOSZA ZALUSKI, *tum Regni Referendarius, iam Epiſcopus Kiiovien:* &c. *Ordinis Aquilæ albæ Eques torquatus instituit, frequenti illuſtrium Virorum conseſſu recitata A.* 1753. *diebus VII.* & *IX. menſis Dec.*

a) *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen mulieris.* Gen. c. 3. v. 15.

I I.

Umbram non patitur nascente in Virgine culpæ,
Fusa super Matrem, Flaminis umbra, Dei *a*)
Scilicet haud aliâ visurum in corpore terras,
Quàm decuit tali Matre venire Deum.

I I I.

Jlle, ferebatur Domini qui desuper undas
Spiritus *b*) ætherei lapsus ab arce poli,
Natales hic Virgo Tuos sine crimine signat,
A vasto nomen quam scio ferre mari *c*)
Nil igitur potuit noxae superesse prioris,
Has ubi lustravit Spiritus almus aquas.

I V.

Si Domus est Virgo, quam Spiritus incolit almus,
Ut sentire fides nos pia nempe docet:
Par equidem fuerat, sacrati Flaminis illam
Abs omni puram labe fuisse Domum.

V.

Lex ea communis: cuncti moriuntur in Adam,
Non habet in Christi Virgine Matre locum:
Quæ Christum peperit vitæ lucisque Satorem,
Flamine quæ sacro vivificata fuit.
Dic mihi, quî potuit peccati morte teneri?
Ni vitam nasci morte parente velis.

V I.

Qui fragilem sexum serpens delusit in Eva,
Criminis à pura Virgine, rite luit
Supplicium pœnamque miser: quæque intulit orbi
Damna parens mortis, fons & origo mali,
Hæc reparat Genitrix vitæ, Materque Jehovæ,
Calce premens angvem, fons & origo boni.
Per quæ quis peccat, meritò punitur iisdem,
Deceptor sexûs sub Muliere gemit.

VII.

a) *Spiritus Sanctus superveniet in Te &c.* Luc. 1. v. 35.
b) *Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Gen. 1. v. 2.
c) *Congregationesque aquarum vocavit Maria.* Gen. 10.
d) *Solium gloriæ altitudinis à principio.* Jer. 17. v. 12.

V I I.

Si Maiestatis Sedes soliumque MARIA est
Divinæ *d*) ut sacri pagina vatis habet.
Passane Maiestas unquam Divina fuisset,
Per culpam, cuius nomen origo notat,
Impurum genium folio hoc sedisse priorem,
Quamque sibi elegit, Sedis honore frui?

V I I I.

Mille tuos inter titulos, queis Virgo bearis,
Scilicet & Vellus Tu Gedeonis habes. *a*)
Vellere signatur Conceptio Virginis almæ,
Nulla quod infecit noxa parentis Adam.
Jmmaculatus enim, qui tollit crimina mundi
Agnus, non alio vellere dignus erat.

I X.

Prima parens patulo dum se male servat in horto,
Jntravit serpens, virus & evomuit.
Tu quia *b*) Conclusus, pia Virgo, diceris Hortus,
Non potuit serpens ille nocere Tibi.

X.

Terra fuit quondam devota à Numine diris:
Horrida spinarum germina sola dabis.
Senserat has Tellus diras, ast non mare: Virgo
A quo Sacra tuum nomen & omen habes.

X I.

c) Sola fuit Tellus devota à Numine diris,
Hæc maledicta Dei non tetigêre Mare.
Scilicet *d*) hæc fuerat primorum massa parentum,
e) Diceris à puro pura Maria mari.

 XII.

a) *Maria Velleri comparatur.* S. Ambros. Serm. I. 13. *Vellus Mariam signat.* Aloys. Novarinus Sacr. Elect. l. IV. Excur. 164.
b) *Hortus conclusus, soror mea sponsa.* Cant: 4. v. 12.
c) *Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabis.* Gen. c. 3.
d) *Formavit igitur Deus hominem de limo terræ.* G. c. 2.
e) *Congregationesque aquarum vocavit Maria.* Gen. c. 10.

X I I.

Si vetus est Adam genitus de Virgine terra,
Ut sonat Andreæ littera scripta stylo.
Quàm magis at decuit nasci de Virgine pura
Te, qui Christe Adam diceris esque novus.

HYMNUS MARIANUS

AVE MARIS STELLA &c.

Carmine elegiaco expositus.

STella maris, Materque Dei sacrata potentis,
Felix porta poli, Virgoque semper ave.
Sumens illud ave, Divi Gabrielis ab ore,
Mutans nomen Evæ, pace fac usque frui.
Vincula solve reis, illustra lumine cæcos,
Pelle mala à nobis, cunctaque posce bona.
Monstra Te Matrem esse, preces per Te ferat Jlle,
Pro nobis natus qui tulit esse tuus.
Jnter mansvetas mitissima Virgo puellas,
Exemptos culpæ nos sine labe fove.
Tutam sterne viam, præsta sine crimine vitam,
Lætemur Jesum, ut Virgo videndo tuum.
Summa Deo Patri sit laus, Christo decus, atque
Spiritui Sancto: sit tribus unus honor.

Gemitus Mariani clientis in tribulatione.

Jlle ego Diva cliens tuus omni tempore vitæ,
Et cui dulce tuum Virgo patrocinium.
Siccine tantorum premor undique mole malorum,
Ut non spes misero fulgeat ulla mihi?
Eia, precor, nostris succurre Patrona querelis,
Et mala cuncta procul Virgo repelle potens:
Virgo

Virgo Dei Mater, Divûmque hominumque voluptas,
Pervia porta poli, stella benigna maris.
Afflictæ Tu sola dabis solatia menti,
Tuque eris in nostris anchora firma malis.

IN ICUNCULAM JESULI DORMIENTIS.

Ego dormio, sed cor meum vigilat.

I.

Dormis, non dormis, mi JESULE! nam Tibi somno
Cor medio vigilat, sic sopor ipse vigil.

I I.

Ne mea Lethæo mens sit correpta sopore,
Jn somno vigilat cor Tibi JESULE mi!

I I I.

Ne crucient vigiles mortalia pectora curæ,
In somno, insomni es JESULE corde vigil.

Adversùs blasphemias cuiusdam Pöëtastri Apostatæ in illud Eccl. canentis:

Crucem Tuam adoramus.

Jn qua, pro mundi Rex libertate pependit,
Salvificæ colimus robora sancta Crucis.
Attulit hæc nobis vitam, fructumque salutis,
Hinc Arbor vitæ rite colenda venit.
Omnis at hæc, quæ fructum haud fert, excisa fit arbor,
Missa fit in flammas; pagina sacra iubet.
Is tu truncus eras sine fructu, & inutile lignum,
Excisus, stygiis ureris ergo focis.

A D

AD

DIVINISSIMUM IOSEPH

Præsulis hodierni & Dioeceseos Kiiovien.
nec non Auctoris C. C. K. Tutelarem.

Dive dioeceseos, quam fonte Borysthenis alto
Alluit exsiliens unda, Patrone Joseph!
Dive Joseph! cuius sacrato nomine gaudet
Kiiovii, Præsul, norma decusque gregis:
Indite Dive mihi lustralibus Indiges undis!
Jn Sophiae sacra cui datus æde locus:
Pastorem Tu Dive meum, Tu Dive clientem
Redde Tuum nobis, Kiiovioque gregi,
Auspiciis Tuus ille tuis sit nempe Josephus
Jn patriam sospes & sua tecta redux.
Quique fuit duram expertus, similemque Josephi
Fortunam sorti; quem Chananaea tulit:
Sorte beatâ eius, similique fruatur honore,
Et numeret totidem lustra, quot ille Joseph.

TETRA-

TETRASTICHA

VITAS SINGULORUM

ARCHIEPISCORUM

LEOPOLIENSIUM

inclytæ Nationis ARMENÆ

IN POLONIA

Brevi Carmine

DESIGNANTIA

JOSEPHO EPIPH: MINASOWICIO

AUCTORE.

1762.

LECTORI BENEVOLO S.

SEriem Archiepiſcoporum Leopolienſium Incl. Nat. Arm: in Polonia, duo, quod quidem ſciam, ſcriptores Poloni, iique ambo S. I. Presbyteri texuere. Unus horum eſt R. P. Thadæus Kruſinſki, *emeritus per multos annos in Perſide Miſſionarius, qui hanc in* Scholiis *ad ſuum* Prodromum belli Perſici *adiectis, pag.* 126. *& ſeqq. conſignavit: Alter R. P. Gaſpar* Nieſiecki, *Auctor Stemmatographus. qui eandem Tom. 1. ſui operis Stemmatogr. pp. 94. 95. recenſuit. Uterque praeter nuda nomina, pauca admodùm ex actis illorum in literas retulêre. Præter hos Scriptores editos, duo Mss. Autographa, ex Tabulario Leopolienſi Incl. Gentis in manus noſtras devenêre; Utrumque nihilominus breve, & quod unam alteramve plagulam non excedat, porro ex iſtis unum, haud dubiâ coniecturâ, à quodam Anonymo S. I. Vilnæ exaratum fuiſſe videtur, eſtque ad tempora TOROSEWICII Archipræſulis referendum. Alterum multò recentius, & quod, ſchediaſma non inepte dixeris, Auctorem præſe fert Perill. Stephanum ROSZKA, Poenitentiarium Apoſtolicum Romae Clementis XI. & Præpoſitum Officialem Eccleſiæ Armenorum Stanislaopolitanæ in Pocutia, Virum, ſi quis alius, in antiquitatibus ſuæ gentis (cuius & lingvam una cum latina & Italica perfecte calluit) apprimè eruditum. Ex his igitur quantulaecunque hæc à nobis collecta, & in carmen breve redacta, legentium oculis & animis ſubiicienda eſſe duximus.*

VALE.

ILLUSTRISSIMO

EXCELLENTISSIMO ac REVERENDISSIMO

DOMINO

D. IACOBO STEPHANO

AUGUSTYNOWICZ

DEI & Apoſtolicæ Sedis gratiâ

ARCHIEPISCOPO LEOPOLIENSI

ARMENORUM.

SOLII PONTIFICII ASSISTENTI &c. &c.

SAcrorum Proceres, quêis Urbs dedit alma LEONIS
Præſules faſces, ARMENIUMQUE gregem,
Accipe virtutum fulgens ANTISTES honore,
Et modulata brevi carmine facta lege.
Non quia norma Tibi vitis præſcribitur iſtis,
Ipſe ſui qvum ſis NORMA decora gregis:
Sed quia pro meritis voluit Tibi debitor Auctor
Exſtare hæc animi pignora grata ſui.

TETRASTI-

TETRASTICHA.

JOANNES I.

Pontificale pedum qui primus in urbe Leonis
Adſumpſit, Regum ſangvine cretus erat.
Paſtores reliquos præcurrere iure videtur,
Quidni? Præcurſor nempe JOANNES erat.

Aſſumpsit tiaram Pontificiam A. C. 1365. *teſtibus ſcriptoribus editis* P. Kruſinſki *atque* Nieſiecki: *& ineditis videl. Stephano* Roſzka, *& Anonymo Auctore MS. Viln.*

GREGORIUS I.

Hic Cathedram rexit, Magni cognomen adeptus,
Tempore, quo Lechis iura JAGELLO dabat.
Lignea quæ fuerat, ceſſit tum Eccleſia flammis,
Ut fieret ſaxis marmoribusque locus.

Rexit Cathedram ad A. C. 1384. *teſte* Nieſiecki, *at St.* Roſzka *annum* 1420 *eius regimini adſignat.*

AVEDIC.

Accepit ſacri geſtamen honoris AVEDIC,
Qui Latio Gabriel dicitur eſſe logo.
Præter Lemburgam, * Coriati & mœnia, rexit
Moldavos: tempus cætera facta ſilet.

P. Nieſiecki *regimen Eius coniicit in annum* 1415. St. Roſzka *in A. C.* 1445.

CHRISTOPHORUS.

Nomine qui Chriſtum, Chriſtum qui mente ferebat,
CHRISTOPHORO cinxit ſacra tiara caput.
Nil tamen in faſtis extat niſi nomen inane,
Sed quod fert Chriſtum, cur ego inane vocem?

Præfuit Cathedræ circa A. 1461. Nieſieckio *atteſtante.* St. Roſzka *mentionem Eius factam reperit ad A.* 1478. *idque ex inſcriptione antiqua Campanilis Eccl: Camenec.*

STEPHA-

* *Cameneccum Podoliae, à* Coriatho *Lith: Duce conditum.*

STEPHANUS.

Nomine non ſolo STEPHANO ſat ferre coronam,
Accedit capiti mitra decora ſacro.
Curia Pontificis fovet hunc, & Cæſaris aula,
Cæſar honore colit, munere Papa beat.

Acceſſit ad populi regimen circa A. 1485. *deceſſit de ſtatione Cathedræ circa A.* 1492. *uti memoratus* Roſzka *l. c. adnotavit.*

KILIANUS.

Ille vices primum Paſtore abſente gerebat,
Poſt cuius mortem Paſtor & ipſe fuit.
Dignus qui Cathedram regeret Paſtore ſepulto,
Cuius rem geſſit, ſuſtinuitque bene.

Initium Eius regiminis P. Nieſiecki *in A.* 1490. *retulit.* Andreas Lubelczyk *Bochnenſis, uti ſui ſynchroni ad A.* 1549. *meminit. Eundem* Kaluſt *Armenis appellari* St. Roſzka *tradit.*

GREGORIUS II.

Cum pravos mores non poſſet ferre ſuorum,
Indomiti Paſtor noluit eſſe gregis.
Terram adiit Sanctam primum, mox limina Petri,
Mutavitque ſolum, non gregis ingenium.

Geſſit Archiepiſcopatum ad A. 1557. *quo tandem ſe abdicavit. A.* 1568. Roſzka *citatus d. l.*

BARSUMAS.

Huic natale ſolum Trapezus, Lemburga tiaram
Obtulit, & populi iura ſacrata dedit.
Quem quia non potuit monitis flexiſſe paternis,
Dimiſit pariter pontificale pedum.

Sacræ poteſtatis gubernacula, regio D. Stephani Bathoræi *diplomate accepit A. C.* 1579. *d.* 12. *Junii (teſte* Roſzka) *quæ deinde exacto triennio ſponte dimisit, si modò calculo* Nieſieckii *ſtandum eſt, qui nudo eius nomini annum* 1582. *adſcripsit.*

JOANNES II.

Sic ubi Barſumas dimiſit fræna, JOANNES
Suſcepit curam, ſede vacante, gregis.

Soczaviæ

Soczaviæ * primùm præfulsit honore Cathedræ,
Hinc Lemburgensi iusque decusque dedit.

Ab aliis in serie prætermissus, à solo Roszka *memoratus ad A. C.* 1598. * *in Valachia.*

GARABIED.

Præcursor Latio; dictus sermone GARABIED
Gentili, sacro cinxit honore comas.
Gesta genusque Viri narrent tabularia gentis,
Nam mea, cum non sit conscia, Musa silet.

Roszka *tempus regiminis Eius designat ad A. 1606.* Niesiecki *mortem Eius refert ad annum sequentem* 1607.

MIESROBIUS.

MIESROBIOS, alii quem verso nomine dicunt
Macrobion, lustris rexit ovile tribus.
Ast bene qui vixit, bene rexit: Præsulis eius
Non est vita brevis, non regimenque breve est.

Niesiecki & Roszka *tempus eius obitûs in annum* 1622. *coniiciunt.*

MELCHISEDECH PATRIARCHA.

Hic Patriarchali cedens de sede, Leonis
Accepit fasces gentis, in urbe, sacros.
Dogmata Romanæ didicit docuitque Cathedræ,
Multum Pastoris vox pietasque valent.

Vacantem sedem quadriennio haud integro administravit, tandem consecrato Leopoli in gentis Antistitem TOROSEVICIO, *ipse Camenecum Podoliæ secessit. ibique sanctissime obiit A. C* 1627. *d* 18. *Martii, teste* P. Krusinski S. I. *in Historia vert. belli Pers. p.* 78. *tam in textu, quàm notâ mariginali, ubi tamen (quod observandum velim) errore librarii, alter à primo anni numerus perperam est expressus, proque sexcentesimo quingentesimus positus.*

NICOLAUS TOROSEWICZ.

NICOLEOS Victor populi non nomine solo est,
Nam domuit populi pectora dura sui,

Flexit

Flexit & ad votum Romanæ in fœdera sedis,
Sic inconcussum stat pietatis opus.

Primus is Unionis Romanae in Ecclesiam suae gentis introductor fuit, primusque ex Polono Armenis, assumpsit Archiepiscopatum A. C. 1626. *quem tandem cum vita deposuit.* 1681. *praefuit itaque Cathedrae annis* 55. *teste* Niesiecki.

VARTANUS HUNANIAN.

Vir pius, & fidei causâ perpessus iniqua,
Promovit Cathedræ commoda quæque suæ.
Indixit Synodum Clero, fundavit in urbe
Vestales regulâ sub, Benedicte, tuâ.

Annis circiter 34. *in regimine exactis, de statione vitæ & Cathedræ decessit a.* 1715. *attestante* P. Krusinski. *Porro* St. Roszka *ducto ab a.* 1686. *regiminis Eius initio, annos duntaxat* 29. *Eiaem adsignat.*

JOANNES TOBIAS AUGUSTYNOWICZ.

Ingenio miti Præsul, * CLEMENTIS amorem
Promeruit, qui Orbi tum sacra iura dabat.
Contulit ille suæ multa ornamenta Cathedræ,
Felix, quem virtus & benefacta canunt.

Assumptus ad regimen Cathedrae a. 1715. *clavum eius morte dimisit a.* 1751. *exactis pie in Pontificatu annis* 36, *in vitae verò curriculo* 88.

JACOBUS STEPHANUS AUGUSTYNOWICZ.

Orbatum Clerum, populumque dolore levasti,
Succedens Patrui dignus honore Nepos.
O utinam longos TE Numen servet in annos!
Conatusque TUOS prosperitate beet,

J I.

* *eius nominis XI. Pont: Max.*

I I.
POLITICA.

SECUNDA ORBIS TERRARUM

MONARCHIA

Seriem Regum Persarum exhibens *

CYRUS.

CYrus Achæmeniis regnum qui condidit oris,
  Pastor erat primùm, mox diadema tulit.
Hic domitis Asiæ populis, regnisque subactis,
  Victor in extremos moverat arma Scythas.
Non tamen indulsit longum fortuna favorem,
  Sed subito lætas vertit acerba vices.
Quippe novis tumidum Thomyris lætumque trophæis,
  Ex improviso vicit adorta ducem.
O nullis unquam delebile dedecus annis!
  O labes! quam non eluat ipsa Thetys.
Jlle, nec unius populi tantummodò victor,
  Abs una victus vir muliere cadit.
Quæ reputans animo nati grave funus adempti,
  Tunc sibi vindictæ sensit adesse locum.
Ergo caput cæsi divulsum à corpore regis,
  Sangvinis in pleno mergere vase jubet.
Quod sanie taboque fluens quum dira levasset,
  Talibus insultans dicitur usa probris:
Sangvine te satia, quem semper Cyre sitisti,
  Nec nostro poteras esse cruore satur.

CAMBYSES.

* *ser.* 1742.

CAMBYSES.

Erepto terris fatorum turbine Cyro,
  Cambysi sedes cessit avita patris.
Polluit hic fuso solium regale cruore,
  Jn jugulos hominum cæde nocente furens.
Primores regni bis senos sustulit ense,
  Consilii quorum cuncta regebat ope.
Nempe quod auderent animosè promere verum,
  Libertas oris morte luenda fuit.
Præxaspis natum telo sic perculit arcûs,
  Rumperet ut medias cordis arundo fibras.
Cædibus improbitas non hic lassata quievit,
  Sangvine cognato se satiare volens:
Nam Smerdim fratrem somni sub imagine visum
  Vertice tangentem sydera summa poli,
Sustulit é medio, metuens, ne scilicet ille
  Eriperet quando regia sceptra sibi.
Stupratamque novâ trux impietate sororem
  Compulit in propria quærere fata manu.
Quin etiam si quid gessit virtutis ad instar,
  Visa fuit feritas semper habere locum.
Utpote quum jussit corio spoliare Sisamnem,
  Judicis officio quod male functus erat,
Detractamque cutem sublimi inducere stallo,
  Constituens natum sede vacante patris.
Cederet ex oculis ut nusquam tristis imago
  Supplicii nato, sed metuenda foret:
Ne leges Judex pretio corrumperet æquas,
  Justitiæ sacrum prostituendo forum.
Bella etiam gessit, quorum non semper ubique
  Ex omni felix alea parte fuit.
Niligenas armis domitos servile coegit
  Cum victo pariter rege subire jugum.
Victor in Æthyopas mox transtulit arma superbus,
  Sed retulit victum turpiter inde pedem.

Militiæ

Militiæ manſura tamen monumenta relinquens,
Jn Lybico Meroën condidit ille ſolo.
Ægyptum tandem fatali ſorte reverſus,
Dum lætos cives ad ſua damna videt,
Edidit horrendam ſtragem crudelis, & ipſi
Attulit Jſiaco fata cruenta Bovi
Exarſit tantâ facti feritate, Deorum
Et ſceleri pœnas reddidit ira pares.
Parte ſui vulnus nimirum corporis illâ
Mortiferum retulit, quâ mutilavit Apim:
Potus enim dum ſcandit equum, de tegmine lapſus
Hauſit letali vulnere mucro femur.

D A R I U S

HISTASPIS, *unius è* VII. *Persis filius*

Sic ubi iam Cyri defecit ſtemma, DARIUS
Sublatis cunctis cæde doloque magis,
Arte novâ, ſolii culmen conſcendit Eoi,
Hinnitu proprii Rex celebratus equi.
Pœonas adiecit regno, feliciter uſus
Conſilio & dextrâ dux Megabyſe tuâ.
Auxilio Zopyri cepit Babylona rebellem,
Fortunâ belli proſperiore potens.
Mox Jones armis aggreſſus vincere, primus
Fertur in Europa conſeruiſſe manum,
Jnque Marathoniis commiſit prælia campis,
Eventu caruit pugna ſed iſta bono.
Milite nam cæſo fugiens, caſtrisque relictis,
Miltiadi de ſe clara trophoea dedit.

X E R X E S.

Defuncto patri iuſtis pro more ſolutis,
Jmperii Xerxes iura ſuprema capit.
Ulturus patrios Græcorum ſangvine manes,
Jmmenſis regni viribus arma movet.

Et mox

Et mox Cecropias præceps invadit Athenas,
Quas expugnatas funditus igne cremat.
Non tamen hæc ſtabili felicia cæpta tenore
Sors diu promovit, ſveta novare vices.
Nam Themiſtoclæis oppreſſus corruit armis,
Attritis terrâ viribus atque mari.
Cladibus inſignem fecit Salamina, Platæas,
Circa Thermopylas clade notavit humum.
Omnibus amiſſis belli diſcrimine rebus,
Vix, fugiens cymbâ, tutus ab hoſte fuit.
Quâ tandem patrias profugus pervenit ad oras,
Per varios caſus, torque pericla maris.
Cumque domi vitam meliori ducere ſorte
Speraret, reperit fata maligna domi.
Artabanus enim regno præfectus ab ipſo,
Fraude irretitum tradidit enſe neci.

A R T A X E R X E S.

MACROCHIR *sive* LONGIMANUS.

Mox Artaxerxes ſolium conſcendit Eoum,
Cui manus agnomen longior una dedit.
Nominis immenſi famâ, & terrore ſuorum
Armorum, cunctis rex metuendus erat.
Caduſios bello domuit, Thyumque rebellem
Datamis oppreſſit dexteritate ducis.
Supplicibus mitis, paci non intulit iram,
Servili preſſit colla ſuperba iugo.
Formoſus facie, candore notabilis oris,
Egit victrici plus tamen ille manu.
Jnvictum bello, tandem mors improba fregit,
Et ſecum ſtygios traxit ad uſque lacus.

XERXES II. & SOGDIANUS.

Hi duo, quos ſeries non interrupta ligavit,
Sceptra, breves fato, non tenuêre diu.

B Primus

Primus enim turpi veneris lascivior usu,
Ante diem luxu deteriore perit.
Jnter lethiferos cineres eliditur alter
Scilicet insidiis, Oche cruente, tuis.
Quos ideo expungunt plerique ex ordine Regum,
Acta quod illorum nulla notanda forent.

DARIUS NOTHUS.

Persica sceptra Notho tandem cessêre Dario,
Omissis, quorum dignior ortus erat.
Quo minùs imperium caperet, nil obfuit, etsi
Legitimi proles non erat ille thori.
Quòque magis stabilis fieret possessio regni,
Consortem legit, quæ sata rege fuit.
Nam sibi Parysatim sociali fœdere iunxit,
Unica quæ magni filia Xerxis erat.
Eius temporibus civili Græcia bello
Arsit, & in cladem verterat arma suam.
Convulsis etiam viciniæ legibus urbes,
Contra se vires exseruêre suas.
Sparta potens veteres namque impugnabat Athenas,
Jura potestatis dum sibi quæque rapit.
Tempus adesse ratus, quo Xerxis reddere cladem
Cecropidis posset, parque referre pari.
Fœdera Spartanis poscentibus obtulit ultro,
Auxilii certos iussit & esse sui.
Perque Tisaphernem, Lydiae qui præfuit oræ,
Coniunctis socias viribus auxit opes.
Sic, quæ sola suo fuit hosti viribus impar,
Exstitit unito robore Sparta potens.
Quæ famam gentis Persarum & principis auxit,
Auxilio cuius clara trophoea tulit.
Multa quidem gessit rex laudatissimus ille,
Perpetuò quorum fama superstes erit.
Parva tamen magnis impar cùm Musa sit actis,
Jlla silendo magis, quàm recitando sonat.

ARTA-

ARTAXERXES

MNEMON *sive* MEMOR.

Tandem Artaxerses patris post funera Mnemon,
Gessit honoratâ regia sceptra manu.
Hic Cyrum fratrem nascendi sorte minorem,
Dum parat ad solium is matre savente viam,
Victum, spe regni deiecit tempus in omne,
Cedere vitaï de statione iubens.
Hostibus inde suis metuendus fortibus ausis,
Jmperii summus pervigil auxit opes.
Non etiam gessit mediâ se pace minorem,
Cultor enim Themidis relligiosus erat.
Jllius admovit nomen clementia cœlo,
Et pietas superis fecit ubique parem.
Prætereo tamen ista lubens, ut cognita passim,
Dicere de sola sed pietate iuvat,
Cuius præclarum specimen, tolerando malignam
Matrem, monstravit: quæ Parysatis erat.
Hæc ubi Statyram, stimulis urgentibus iræ,
Sustulit è medio fraude megæra nurum,
Quam thalamo sociavit amor, regnique potentis
Consortem fecit non minus atque thori:
Quamvis offerret sese vindicta dolori,
Et iustas animo subderet ira faces,
Non tamen excussit mentem sic impetus iræ,
Matris ut imbueret cæde calente manus:
Tempore sed toto vitæ, Babylone remotam
Oris ab aspectu iussit abesse sui.
Sospes adhuc, nato cessit diadema Dario,
Contentus dulci vivere sorte patris,
Sed mox ingratum, sibi tristia fata parantem,
Deiecit vitâ, deposuitque throno.
Rursus & imperii dimissi fræna recepit,
Antiquum repetens ius, solique decus.
Tandem tot meritis pariter defessus & annis,
Naturæ solvit morte tributa senex.

 OCHUS.

O C H U S.

Poſt obitum patris, ſolio conſedit avito,
Et ſceptri ſumpſit rex moderamen Ochus.
Crudelem dextram maculavit ſangvine fratrum,
Quos octogenos ſuſtulit ille nece.
Jn cives pariter ferro graſſatus & hoſtes,
Turbavit regnum ſeditione ſuum,
Quam niſi maturo gliſcentem tolleret auſu,
Eruptura palam bella in aperta foret.
Niligenas Tacho cum regnatore rebelles,
Ferre iugi durum victor adegit onus.
Dumque moratur ibi, mentis ſtimulante furore,
Taurum, qui magni numinis inſtar erat
Ægypti populis, mactavit cæde cruentâ,
Mactatique epulis intulit extra dei:
Subſtituens aſinum, qui relligionis honore,
Quo coleretur Apis, rite colendus erat.
Non tulit opprobrium patriæ tam turpe Bagoas
Eunuchus regis, conſiliumque necis
Concipiens animo, captato tempore, Regi
Porrexit dulci toxica miſta mero.
Exſtinctique catis proiecit turpe cadaver,
Jmpulit in rabiem quos maleſvada fames.
Nuda autem in capulos gladiorum tranſtulit oſſa,
Quo voluit facto ſignificare palam:
Quod ne fata quidem poſt ultima, deſinat Ochus
In iugulos hominum cædibus eſſe ferox.

A R S E S.

Sublato terris infami morte tyranno,
Arſes natus Ochi, rex diadema tulit.
Præfuit imperio quatuor non amplius annis,
Sceptra ferens turpi non diuturna manu
Nullâ geſtorum memorandus laude ſuorum,
Jndignus tantæ ſedis honore fuit.

Nam

Nam poſitâ regni curâ, torpore ligatus,
Otia cum luxu mollia duxit iners.
Fraudibus eunuchi pariter ſubverſus & ille
Corruit, ulciſci fata paterna parans.
Namque ubi præſenſit certâ ratione Bagoas,
Quod ſibi ſupplicio noxa luenda foret.
Præveniendo ſui capitis diſcrimen, in ipſum
Authorem vertit tela parata ſibi:
Securumque dolis aggreſſus tollere regem,
Toxica cum dulci melle bibenda dedit.

DARIUS CODOMANNUS.

Artibus eunuchi ſolium regale DARIUS
Conſcendit, quo mox deiiciendus erat
Fraudibus eiusdem, porrecto nempe veneno,
Sed non ſucceſſit fraus meditata necis.
Scilicet edoctus technas rex eſſe paratas,
Juſſit, ut hauriret pocula miſta ſibi.
Cladibus hic toti Princeps innotuit orbi,
Quas ab Alexandro rege potente tulit.
Prælia ter movit, ter concidit hoſtis ab armis,
Totque ducum partas ſangvine victus opes
Perdidit imperii: funeſtâ clade notavit
Turpiter Arbellas, Ciliciæque iuga
Cæſorum tumulis auxit, fuſoque cruore
Jllimes Granici polluit amnis aquas.
Non hic meta malis: eadem, quæ nempe ruinam
Jmperio, regi fata dedêre necem.
Circumventus enim ſceleratâ fraude ſuorum,
Adverſæ ſortis crimina morte luit.
Sic cui victoris generoſi dextra pepercit,
Servili cecidit victima cæſa manu.

III.

I I I.

ONOMASTICA ET PANEGYRICA.

IN LUCEM ONOMASTICAM STANISLAI AUGUSTI REGIS POLONIARUM

Anno R. S. 1766. d. 8. Maii celebratam.

I.

SI qua dies unquam lætos accenderat ortus,
  Lætior est illâ Lux hodierna die.
Solvit in applausus populorum hæc ora Tuorum,
  Jnque pias solvit corda Polona preces.
Pars populi quotacunque Tui, sum Maxime Regum!
  Principis est virtus maxima, nosse suos.
Pars ego sum populi, quem dulcia sceptra gubernant,
  Principis incolumis, lex cui summa, salus.
Pars ego sum populi, Tibi corde precantis & ore,
  Aucta ergo votis publica sunto meis:
Vive Pater patriæ. Rex Optime, vive tot annos,
  Quot Tibi corda favent, Teque quot ora canunt.

I I.

Maius habet regnum nil Principe, nomine maius
  Nil habet, ô Princeps, Sarmatis ora Tuo.
Tantum igitur nomen, quo nullum est nomine maius,
  Debuerat * Maius, Rex, celebrare Tuus.

A D

* Maius *mensis à* maioribus *dictus est, quia* (*ut inquit* Macrobius) *maioribus consecratus est, quorum consiliis Resp. regebatur.* Hinc sua maiores tribuêre vocabula Maio. *Ovid.* Fast. *Sunt, qui à* Maiestate *Dea dictum volunt, quod Flamen Vulcanalis, calendis Maii huic Deae rem divinam faciebat. Conf.* Hoffmani *Lexic.* v. Maius.

A D ANGELUM MARIAM QVIRINUM S. R. E. Cardinalem, Episcopum Brixiensem, Bibliothecæ Vaticanæ Præfectum &c.

ELEGIA.

Scripta nomine Magni Præsulis,
d. 16. Sept. 1752.

PUrpureos inter Proceres doctissime Princeps,
  O & Romulei lausque decusque soli!
Quo populosa pio nunc Brixia Præsule gaudet,
  Sponsa urbis Veneræ, Coenomanûmque caput.
Quanta Tibi à cunctis debentur munera laudum?
  Quos fovet in gremio docta Minerva suo.
Fœdere qui pulchro libros sociasse tiaris,
  Doctorum & cœtûs diceris esse Pater.
Magna sed imprimis nostro debetur ab orbe
  Laus Tibi, purpurei lumen in Urbe chori,
Quod Tua Musa etiam rigidam penetrarit ad Arcton,
  Dum socios gestit Musa videre suos.
Venit & ad Gryphici contendens culmina Pindi,
  E Latio longam suscipiendo viam.
Sedem ubi laurigeras inter sortita sorores,
  Nata Pomerano docta Puella solo.
Hæc facit, invideant minùs ut borealia regna,
  Si qua sit externo clara puella solo.
Sique fuit Graiis magna olim gloria Sappho,
  Non minor est Gryphicis BALTHASARINA suis.
Et tamen illa leves tantum cantavit amores,
  Fœmineæ tenerum debilitatis opus,

Ast

Aſt modo quæ nata eſt ſæclis labentibus orbi,
Digna cothurnato metra Marone canit.
Nec ſolos tantum ſveta eſt depromere verſus,
Virgineum quoties pectus Apollo ſubit:
Sed quod non valuit Sappho, ſermone ſoluto
Jngenium doctis adprobat illa viris.
Jlli me ſocium calami commercia iungunt,
Jllius & ſcriptis litterulisque beor.
Jlla ſuæ famâ doctrinæ venit ad Urbem,
Carminibus Præſul nobilitata Tuis,
Jn queis Tu Latiâ repetis præconia voce,
Quæ cecinêre ſuis Gallica plectra modis
Perardo docto, memorando rite ſodali,
Quem mihi, totque alios Pallas amica dedit:
Quo Socio, Arctoo quotquot celebrantur in orbe,
Grande ſibi faciunt clara Lycæa decus.
Me quoque, purpureo Præſul venerande ſenatu,
Muſa Tua hos inter iuſſit habere locum,
Dum me per calami memoras commercia iunctum
Fœdere amicitiæ, perpetuoque Tuum.
Atque Tuo noſtrum devotum nomen honori,
Per populi, Princeps, ora volare iubes.
Ergo, quibus famam mihi das vitamque perennem,
Carminibus vivas tempus in omne Tuis.
Et cui iam geminâ cinguntur ſacra coronâ
Tempora, quam Pallas, quam dedit altus honor:
Namque caput lauro tegeris, tegerisque galero
Cardineo, & geminum frons habet una decus,
Tertia poſt geminas tandem detur auſpice cœlo,
Sicque Tuum exornet trina corona caput.

A D
ANGELUM DURINUM
PATRITIUM MEDIOLANENSEM
ex Comitibus Modoetiæ
ARCHIEPISCOPUM ANCYRANUM
Jn Reg. Pol. & M. D. L. cum facultatibus
Legati à Latere
NUNTIUM APOSTOLICUM.

I.

ANGELUS officio, quia Nuntius: ANGELUS aequè
Nomine: divino es ANGELUS eloquio.
Voce Dei affatus Mariam eſt Angelus olim,
Cui cœlo lapſus nuntia læta tulit.
Tu pariter nobis loqueris ſermone Deorum
ANGELE, dum Vates carmina dia canis.
ANGELUS officio, eloquio, tum nomine qvum ſis,
Te cœlo lapſum qui neget eſſe Virum?

II.

AD EUMDEM
Sub perſona Chryſauri Paſtoris Arcadis
cultiſſima carmina modulantem.

Aureus es Latio, Graioque es nomine Vates,
CHRYSAURI hoc etymon, resque vel ipſa probat.
Aurea funduntur Tibi divite carmina venâ,
Conſonat ingenio nomen utrumque Tuo.

I I I.

Et cecinit modulos, armentaque pavit Apollo,
Admeti curans pastor Apollo gregem,
Hæc eadem PASTOR præstare videtur & ARCAS,
Namque gregem pasceus, dulcia metra canit.
scr. An. 1769.

AD EUMDEM.

Literatissimum Archipræsulem.

I.

Seu vincto scribis, seu Tu sermone soluto,
Haud alius fuerit par in utroque Tibi.
Ecquis erit, qui non DURINE fatebitur? intra
Te, quod Virgilium cum Cicerone geras.

I I.

Carmina quæ pangis, quæ concinis ore rotundo,
Jgnea vis illis, mentis acumen inest.
Quid prohibet Vatem Divinum dicere? Cuius
Pectus Apollo tenet, docta Minerva caput.

I I I.

Sunt, aliena quibus tribuerunt carmina vitam,
Tu proprio vivax carmine Vates eris.

I V.

Versiculos Tua Musa meos laudavit: at à Te
Excedunt laudes, carmina facta, meas.

V.

Votum Authoris.

Vive diu Musarum & Phœbi Magne Sacerdos,
Tu, qui das aliis vivere, vive diu.
Te canat, & seris Tua Fama nepotibus acta,
Tuscia Te tua, Te Sarmatis ora canat.
Tinctaque Te decoret Tiberino murice vestis,
Quin à Te sumat Purpura sacra decus.
scr. A. 1770.

A D

AD EUMDEM

Musis & negotiis ex æquo vacantem.

I.

Cum tot sustineas & tanta negotia solus,
Otia cum Musis sunt Tibi crebra tamen.
Crede mihi, Præsul Doctissime, pectoris ista
Mortalis non sunt, ANGELUS ista facit.

I I.

Otia cum Musis, seu magna negotia tractes,
Cæsar in his es, qui clarus utroque fuit.

I I I.

Vanam alii quærant operosa per otia famam,
Veram concedunt otia docta Tibi.

I V.

Plus Tua, multorum quàm magna negotia, docti
Otia cum Musis blanda valere sciunt.

V.

AD EUMDEM

Nostri temporis Catullum.

Si nos Pythagoræ non fallit dogma: CATULLUS
Jntravit pectus, Magne DURINE, Tuum.

V I.

Mantua Virgilio tumeat, Verona Catullo,
Jnsubræ gentis fama DURINUS erit.

V I I.

Ancyrane Tui versus, Tua carmina Præsul,
Longè * Ancyrano durabunt plus Monumento.

V I I I.

Vocibus humanis non Tu DURINE canendus,
Angelico debes ANGELUS ore cani.
scr. VI. Idus mart. 1771.

A D

* *De* Monumento Ancyrano *rerum gestarum Divi Augusti, præter* Busbequium, Cossonium, Gronovium &c. *vid. imprimis* Jo. Alb. Fabricius *in eo libro, quem* Jmp. Cæs. Augusti temporum notationem *inscripsit*, *p. m.* 213. *& seq.*

AD JOSEPHUM ANDREAM
COMITEM IUNOSZA ZAŁUSKI

Supremum tum Regni Refendarium, nunc Episcopum Kiiovienſem, Ordinis Aquilæ Albæ Eqvitem torquatum &c.

In Tragoediam Extremi Iudicii *limatiſſimè ab Eo ſcriptam, & publici iuris factam.*

I.

SEu Tibi vena fluit metro, ſeu divite proſâ,
 Ut fatear verum, Cæſar utroque ſtylo es.
Carmina ſi pangis, non Mantua Vate ſuperbit
 Clara ſuo, atque altùm Muſa canora ſilet.
Lege ſoluta metri porrò ſi verba peroras,
 Voce Arpinatis roſtra animata taceant.

I I.

Si licet & noſtrum, Vir Maxime, promere ſenſum,
 Sique aliquod pondus verba clientis habent,
Judicium Extremum, tragico quod concinis ore,
 Cunctorum ingenio iudicioque placet.

I I I.

Cum veniet ſuprema dies, quâ caſtas ab hædis
 Impuris Ovium, grex removendus erit,
Judicis extremum cecinit qui rite Tribunal,
 Inter oves habeat rite JUNOSZA locum.
ſcr. 1752.

In tragoediam Edvardi III. R. Angl. *de Amore Boni publici, partim ex gallico Abb.* Greſſet, *partim ex anglico idiomate, ab Eodem Præſule, metro Polonico translatam.*

I.

Magne Tuis Præſul meritis, & ſtirpe vetuſtâ,
 Maior at ingenii nobilitate Tui.
Svadâ in utrâque potens ſeu vinctâ ſive ſolutâ,
 Doctrinæ titulis denique mille nitens,
Ad Spartam nate ornandam, patriæque decorem,
 Omnibus hæc etenim ſtant documenta palam.
Cuncti in Te norunt Gentisque & Regis amorem,
 Qui Tua facta vident, qui Tua ſcripta legunt:
Nam quæcunque Tuis facias, ſcribasve Polonis,
 Dirigit hæc gentis vel quoque regis amor.
EDVARDUS teſtis, populi Rex clarus amore,
 Clarior at patriæ Civis amore ſuæ,
Teſtis is EDVARDUS, tragico quem dramate pangis,
 Hic quod uterque Tuo pectore regnet amor.

I I.

En iterum loquitur, tragico redivivus in ore
 EDVARDUS, Britonum Regia ſceptra tenens.
Vivit parte ſui Princeps meliore ſuperſtes,
 Carmina cui vitâ dia dedêre frui,
Atque Sophoclæo per Te tumet ille cothurno,
 Qui dudùm patrio detumuit tumulo.
Non tamen urna capit totum, nam ſcena reducit
 Magnam eius partem, Principis acta canens.
Vivit & æternùm vivet Rex carmine; metris
 Namque Tuis, Præſul, vita perennis erit.
ſcr. VIII. idus Maii 1752.

In Drama Catonis Uticensis *ex italico abb.* Metastasii, *numeris Polonicis ab eodem Præsule conversum.*

I.

Fortunate senex Præconis carmine tanti!
Libertate Cato qui pereunte peris.
Munere Sarmatici Vatis Tibi vita recurrit,
Libertas salvo te quoque salva viget.
Reddit utrumque simul tibi dramate Præsul in isto,
Cæsaris ambitio, mors tibi quodque rapit.

I I.

Utica magnanimi celebratur laude Catonis,
Laudibus at docti Præsulis ipse Cato.
Urbi magna fuit Libycæ Cato gloria: maior
Præsulis à metro fama Catonis erit.

I I I.

Haud moreris totus, vivis meliore superstes
Parte Cato, vitam restituente metro.
Est ea Præsulei vis carminis: auferat orco
Scilicet ut claros non sine laude viros.

I V.

Trux libertatem Cæsar, mors munus ademit
Vitæ, Musa refert munus utrumque tibi.
Jlla tibi vitam cum libertate redonat,
Dum tua Præsuleis suscitat acta modis.

A D

AD EUMDEM

DOCTISSIMUM PRÆSULEM

Editionem Operum Poëticorum Andreæ Cricii *Archipræsulis Gnesnen. & Regni Primatis, è Bibliotheca sua adornantem.*

SI qua fides doctis, quorum Tu Magne ZALUSKI
Jure quidem merito diceris, esque caput.
Carmina non alius cecinit, quæ digna Polonis
Musis, & Phœbo quæ mage digna forent,
CRICIUS ac noster, cui iam Præmislia primùm
Præsuleas vittas, Plocia moxque dedit.
Jmposuit tandem sublimes Gnesna tiaras,
Laurigerum vittis condecorando caput.
Seu sacra nempe canit, seu seria, sive iocosa,
Seu populi mores ingeniumque notat:
Seu natalitios, genethliaca carmina, versus,
Regalesque sacro concinit ore thoros:
Seu epinicio peragit palmasque triumphos
Sismundi regis carmine, Præsul ovans:
Seu quoque funereas pompas, epicedia mæsta,
Flebilibus Vates concinit ille modis:
Cunctorum dulci superavit voce Camœnas,
Exhausit Larias ille vel unus opes.
Nam si bella legas alto cantata cothurno,
Maronem lituo bella ciere putes:
Si levibus numeris teneros meditatur amores,
Nasonem dicas scribere amoris opus.
Salsaque si lector prudens epigrammata spectes,
Haud melius cecinit Bilbilitanus olor.
Si sociata lyræ perpendas verba canoræ,
Pindaricum credas te aure bibisse melos.
Ut tandem

Ut tandem absolvam paucis præconia summi
Præsulis, ingenio magni & honore Viri.
Haud alius potuit sedem inter habere sorores
Aonias, donec huic vita superstes erat.
Quodque alii sparsim celebres cecinêre Poëtæ,
Uno cuncta libro CRICIUS unus habet.
Scr. VI. idus April. 1753.

AD EUMDEM

Codicem MS. Laurentii Rudawski, *Varmien. & Olomucen. Canonici*, Historiæ Polonæ ab excessu Vladislai IV. *Cl. V. Laur: de Kolof* Mitzlero *MD & Historiogr. R. edendum è Bibliotheca sua præbentem.*

Editor & Scriptor, Laurentius unus & alter,
Pro meritis lauro dignus uterque suis.
At nisi, Sarmatici quæ consulit orbis honori,
Præsulis, autographon Bibliotheca daret,
Jn latebris Scriptor non cognitus usque maneret,
Editor ignoti vix reor ullus erat.
Ergo cunctorum consensu, Maxime Præsul,
Debetur meritis laurea trina Tuis.

AD EUMDEM

Nostri temporis Musageten.

Quantus es ô Præsul! quantusque videris in orbe,
Jd Tua testatur Bibliotheca palam.
Namque Tuam mentem magnorum rite capacem,
Jngentemque animum Bibliotheca refert.
Quantus es ô Præsul! quantusque videris in orbe,
Testatur caput id Bibliotheca Tuum.
Namque Tuum caput est, prohibet quid vera fateri?
Spirans Musæum: Os, Bibliotheca loquens.

AD

AD EUMDEM

de Scriptis ab Eo vulgatis.

Cantabunt celebres passim Tua scripta Poëtæ,
Jngenii vivent & monumenta Tui.
Dumque gravis medio librabitur æthere tellus,
ZALUSKI! æternùm Te tua fama canet.

AD EUMDEM

Strena Apollinea pro anno ineunte 1754. mittendo versionem Polon. Fabellarum Phædri.

Principio dum dona Novi fert quilibet Anni,
Pro strena Præsul, carmina mitto Tibi.
Carmina nec Musis, nec Phœbo digna Polono,
Judicio ni sint carmina fulta Tuo.
Quæ calor egessit paucis in fine diebus
Anni, *a*) motus ubi promptior esse solet.
Vix festiva reor, nam sunt festina: repente
Carminibus fusis gratia sæpe deest.
Absit carminibus, nil curo, gratia nostris,
Dummodo non absit Præsulis illa mihi.

AD EUMDEM

GRATIOSISSIMUM PRÆSULEM

ædes avitas Authoris hyberno tempore invisentem. 1759.

Dum Tuus exoritur devotis ædibus AGNUS,
Ver subit, Antistes magne, recedit hyems.
Jnstar veris enim facies Tua quàquà refulget,
Sol melius lucet, clarior itque dies.

a) *motus in fine velocior.* Axiom. Phil.

Munere pro tanto fas vota refundere: signet
Signator veris, ver Tibi perpetuum.

AD EUMDEM
pro munere Librorum.

Diligeris nobis non propter munera Præsul,
Propter Te potius munera, Præsul, amo.

AD EUMDEM.

tum Regni REFERENDARIUM, *sub tempus Consecrationis Eius in* EPISC. KIIOV. 1759. *ducto ab armis gentilitiis argumento.*

Agnus qui fueras, converso iam ordine rerum,
Numinis ex placito Pastor ovile regis.
Numinis ex placito, iam quæ diversa fuêre
Olim, sunt hodie PASTOR & AGNUS idem.

AD EUMDEM

KIIOVIENSIUM ET CZERNIECHOVIENSIUM
ANTISTITEM
in Lucem Eius Onomasticam
XIV. Cal. April. A. R. S. 1765. celebratam
Pentas Epigrammatum Hexastichorum.

I.

Jncidit in lucem Martis, lux alma JOSEPHI,
Jnclyta natali lux hodierna Tuo.
Mars lituos poscit, Musis Tu Præsul amice
Mansueris, refugis classica, signa, tubas.
Ergo procul litui, Martemque sonantia signa,
Præsulis obsequiis est magis apta chelys.

I I.

I I.

Natalem nomenque Tibi, qui vere tepente
Fert violas mensis, Præsul, is alme dedit.
Martius, Accrescens ethymon dedit: at Pius ille
Rex, violas sacræ iussit habere togæ.
Hæc rite expendens, Antistes Maxime, natum
Cum violis nomen quis neget esse Tuum?

I I I.

Exoriens Aries, veris signator amæni,
Mite Tibi nomen mitis & ipse dedit.
Mitis erat Joseph: Agno nullum mitius astrum,
Quo veteris fulgent stemmata clara domûs:
Moribus es mitis Præsul: JUNOSZA, JOSEPHUS,
Convenit ingenio nomen utrumque Tuo.

I V.

Astra ferant aliis vitæ, fortisque futuræ
Omen. Tu ex ethymo nominis omen habes.
Diceris Accrescens, qvùm nempe vocêre JOSEPHUS,
Materies votis sumitur inde meis:
Crevisti meritis pariter maturus & annis,
Sola Tibi restat messis: adultus honor.

V.

Quisque suæ faber est fortunæ: si modò verum
Scilicet id, vulgi sermo quod ore terit.
Non tamen incerti semper vox certa popelli,
Certius est votum, quod Tibi corde fero:
Sit quicunque suæ sortis faber; Optime Præsul,
Fortunæ JOSEPH sit faber ipse Tuæ.

 Aliud

Aliud Eidem Onomasticon pro A. 1766.

Jncidit in lucem, cui magnus præsidet Hermes,
Lux Tutelaris nomine clara Tui.
Eloquii pater est Hermes: JOSEPH esse putatur
VERBI, per quod sunt omnia facta, Pater.
Tu Pater eloquii cùm sis, Pater esto Senatûs,
Svada Polona Patrem quem colit, Jlle colat.

JN BIBLIOTHECAM ZALUSCIANAM

ære perennius monumentum.

Cede Leo regno, mitis rex imperat Agnus,
Jngenio jam Rex Agnus ubique suo.
A senibusne datas nescis Agno esse coronas?
Si solium quæris? BIBLIOTHECA thronus.

IN EFFIGIEM ALEXANDRI COMITIS ZALUSKI

Palatini Ravensis & Consortis Eius
CATHARINÆ OLSZOWSCIÆ,
Andreæ Primatis Regni germanæ
Sororis, æri incisam sumptu Celsiss.
Andreæ Episcopi Cracoviensis,
Ducis Severiæ.

Vultus Alexandri, quem spectas, iste ZALUSKI est,
Rava Palatino quo decorata fuit.
Jnsignes tres ille togâ, tres ille tiaris
Progenuit Proceres, non sine laude Pater.

Hoc

Hoc generatus avo, memorandus in ante Minister
ANDREAS, Craciâ Præsul in urbe modò:
Dum Normam Lechici voluit monstrare Senatûs,
Dignus laude Nepos, sculpere iussit Avum.

AD JOSEPHUM SZANIAWSKIUM

Cracoviensem Cathedr: Canonicum,
Abbatem Coadiutorem Wonchocensem
&c. suum olim in Seminario Dioecesano
Varsaviensi Contubernalem.
die natali suo 19. Mart. 1764.

Astra ferunt aliis, sit quantus quisque futurus,
Omen: Tu ex ethymo nominis omen habes.
Diceris Accrescens, nomen Tibi nempe JOSEPHO,
Materies votis inde sit ergo meis:
Cresce decus juvenum, virtutibus haud minus annis!
Cresce Parente Tuo, & Præsule dignus avo.
Cresce Deo, domuique Dei, quæ gloria summa est,
Sic eris Accrescens nomine, reque, JOSEPH.

AD IGNATIUM PETRUM MINASOWICIUM U. J. D.

Ecclesiæ Regio-Ducalis Varsavien. Capitularem Canonicum, Parochialis in Magna Brochow Præpositum, Judiciorum Refer: Regni olim Adsessorem.

Pastor & Adsessor, sacræque Canonicus ædis,
Moribus, exemplo es, iudicioque bonus.
Das exempla gregi, commissi Pastor ovilis,
Moribus exornas urbis in æde locum.

 Judicis

Judicis Adsessor, multùm cui noster Apollo
Debet, iudicii das documenta Tui.
Diligit inde Tuus Te grex, Ecclesia, Judex,
Addicti fratris Te quoque Musa colit.

AD EUMDEM,

VENERABILEM SENEM

alteras primitias, anno sacerdotii quinquagesimo exacto, celebrantem. a)

Primitias olim iuveni, Prælate, priores
Alma dedit Rochi lux celebrasse Tibi.
Annorum post lustra decem, celebrasse secundas
Primitias dederat lux eademque seni.
Longævæ possis metiri Matris ut annos,
Adiiciat decades Numen ad octo duas.

Aliud super eodem.

b) Lex vetus & sacra est, per quam quinquagies orbis
Annuus exactus, sanctificandus erat.
Primitias post lustra decem celebrando secundas,
Hunc annum quis Te sanctificasse neget?

AD

a) *A.* 1765. *in Eccl. Paroch. villæ* Brochow, *tituli* S. Rochi.

b) *Sanctificabisque annum quinquagesimum,.. ipse enim est iubileus.* Levit. XXV. v. 10.

AD

JOANNEM ANDREAM

JANOCKIUM.

Kiiovien: Cathedralem, Scarbimirien. Collegialem Canonicum: Babimostensem Præpositum, Bibliothecæ ZALUSCIANÆ

PRÆFECTUM &c.

POLONIÆ LITERATÆ ORNAMENTUM.

Res manet in dubio: Patriæ Tu, debet an illa
Plus Tibi? Lechiaci gloria, JANE, soli.
Jlla Tibi vitam, dulces dedit illa penates,
Emeritum & sacro iussit honore frui.
Jllaque Te Magni, quæ gloria summa, ZALUSKI
Ante alios dignum fecit amore Virum.
Tu Patriæ gratus meritis, hæc dona rependis
Obsequio, Patriæ gratus ubique, Tuo.
DOCTA Tuis etenim celebrata POLONIA scriptis,
Jmplevit famâ solis utramque domum.
Res itaque in dubio est, valeat quam solvere nemo:
Tu Patriæ debes plusne, vel illa Tibi?
Solus at ambiguam potis est dissolvere litem,
Solus amor Patriæ, qui Tibi semper inest.

AD EUMDEM

Par Tibi reddo pari, limatæ si modo prosæ
JANE Tuæ, nostrum par rude carmen erit?
JANE Tuas nostro signasti nomine chartas,
Dignus es in libro nomen habere meo.

AD

A D

ADAMUM DUNIN WĄSOWICIUM

Eccl: Cathedr: Kiiovien: Canonicum, Paroch: Dobczycen: Præpositum: Curiæ Episcopalis Auditorem.

Tu quoque, Præsulea est vigili Cui Curia curæ,
Absente heu Domino Curia mæsta suo!
Non sine laude meis, DUNIN, memorabêre Musis,
Pectore doctrinam cum pietate fovens.
Ritè quod exequeris Pastoris iussa JOSEPHI,
Ut reliquas taceam, laus ea summa Tibi.
Laus, quod hyperboreis Præsul, pius exsul in oris,
Te carum, scriptis vocibus inde beet.
Voce sub astra ferant aliorum nomina Cycni,
Usque Tuum recinet nomen, avitus Olor.

A D

ADAMUM NARUSEWICIUM

è Soc. JESU

BUCOLICORUM POLONICORUM

Elegantissimum Scriptorem.

Audio dum Musam, quam Tu meditaris avenâ,
Varsovios inter Tityrus alter agros:
Non Latio invideo cantantem pascua Vatem,
Namque habet hunc in Te Sarmatis ora novum.
Estis uterque pares dulci modulamine, quamvis
Jlle canat Latiis, Tu Lechicis modulis.
Estis uterque pares: DAPHNIS cantatur utrique,
Ausoniis DAPHNIS Sarmaticisque modis.

Sed

Sed Latius DAPHNIS dudùm cum Vate recessit
Ex oculis hominum, nominis umbra sui.
Jlle Tuus vivit, Pastorum gloria, DAPHNIS,
Vivet & æternùm carmine, ADAME, Tuo.

AD ANDREAM

ex Ducibus de Kozielsk

OGINSKIUM

Præfectum Ośmianensem, Tribunum S. R. M. (nunc Ensiferum M. D. L.) Castellani Trocen: magnæ spei filium: Acad. Vars. apud Cler. Reg. Theatinos institutæ Principem.

Virtus, ingenium, stirps: hæc tria summa videntur
Jn Te uno, Charitum vincula pulchra trium.
Res manet in dubio: virtute an sangvinis ortu,
Jngenio Tu sis nobiliorne magis?
Est nisi solus Honor, litem qui solvere possit,
Perpetuus tribus his nam solet esse comes.

AD EUMDEM

Porta Tuo est generi præclaro stemma vetustum,
Porta, cui tribuunt pulchra trophæa decus.
Annibal ad portas, Romanas terruit arces,
Pro patria, ad portam Tu Annibal esto Tuam.

A D

AD SEVERINUM COMITEM RZEWUSKIUM

Præfectum Dolinen. Palatini Podoliæ (nunc Cracovien.) & Campiducis Regni, optimæ indolis Filium, eiusdem Academiæ Convictorem.

Stat Tibi fronte pudor, placidoque modestia vultu
Emicat, ingenuo ridet in ore Charis.
Simplicitas oculis nitet assimilanda columbis,
Quoque superbit olor, pectore candor inest.
Sunt similes formæ mores, conformis & ipsis
Moribus, est oris forma venusta Tui.
Præterea superas annos, SEVERINE, tenellos,
Jngenio, doctis æquiparande Viris.
Quid statuam de Te? statuam meruisse videris,
Hanc Tibi iam posuit pectore noster amor.
Post ubi virtuti se se ætas junget adulta,
Pro meritis aliam ponet adultus honor.

AD CL. V. LAURENTIUM MITZLERUM DE KOLOF

M. D. Consiliarium S. R. M. Historiographum R. Collectionis Magnæ Historiar. Pol. Scriptorum, multis voluminibus EDITOREM.

Hippoliti laceros artus congessit in unum
Corpus, Pergameâ cultus in urbe Deus.
Plus illo, MITZLERE, Deo præstare videris,
Arte in utraque potens, ἰατρὸς & Historicus.
Jlle artus tantum, Tu totos corpus in unum
Scriptores sparsos congeris arte Tuâ,
Scriptores inquam Lechicos Tu congeris, atque
Congestos, doctis scis animare notis.
Cùmque aliis vitam tribuas, famamque perennem,
Dignum laude, mori Te mea Musa vetat.

AD EUMDEM

Opera Polonica Erasmi Sixti *Leop.* & Sebast. Innocent. Petritii *Pilsn. geminorum de Thermis Scriptorum, metaphrasi Latinâ adornantem.*

Vis quæ Drusbaccis, quæ Sclanis indita thermis,
Queis medicæ morbis auxilientur aquæ,
Ista forent orbi nunquam perspecta Polono,
SIXTUS ni adferret PETRITIUSque facem,
Jlle Samoscensis, Cracii decor iste Lycæi,
Arte Machaoniâ clarus uterque Virûm.
Hos Tu Sarmatico nobis sermone locutos,
MITZLERE Ausonio dum facis ore loqui,
Scriptorum famam, gentisque extendis honorem,
Prospicis & doctis utilitate Viris.
Utilitas alios, at Te Laus inde sequetur,
Quæ doctis merces nunc nisi sola datur.
Perge tamen cæpto passu, si nostra negabunt
Tempora, posteritas præmia iusta dabit.

AURUM

AURUM VOTORUM

Auro liberalissimi Indigetis additum &c.

SIVE CARMEN ONOMASTICUM

NICOLAO MINASOWICZ

S. R. M. Secretario, Parenti desideratis. *

Aurea dona fero, placido Tu suscipe vultu,
Filius hæc offert, suscipe dona Pater.
Parva quidem sunt hæc, meritisque haud congrua
Munera, virtuti nec satis æqua Tuæ. (magnis
Suscipies tamen hæc, ne dedignabêris ore,
Certa subest animo spes in amore Patris,
A primis quo me fovisti leniter annis,
Quove foves natum, qui Tua cura, Pater.
Hic ego quàm vellem lingvas tot habere sonoras,
In laudes Genitor, fama quot ora, Tuas!
At si centeni s resonent mihi vocibus ora,
Sint & fatidico pectora plena Deo,
Non tamen acta pii possem memorare Parentis,
Omnia, nec largæ munera cuncta manûs.
Nam me deficeret vel vox prior ipsà loquentem,
Fessaque dicendo linqueret ora sonus,
Singula quàm laudum, Pater ô venerande, Tuarum
Eloquio possem dinumerare meo.
Candida saltem igitur liceat depromere vota
Vota ea, quæ nati pectore servat amor:

Vive

* *Scriptum* Cracoviæ *VIII. Id. Dec.* 1737. *cum in* Alma Univ. *ibidem Jurisprud. studiis vacarem.*

Vive diu, fatique precor preme ferrea colla,
Nestoris annosi sæcula vince senis.
Vive diu, longum sis fortunatus in ævum
Cum Consorte Tuâ, cum Genitrice meâ.
Vive diu, lætis faveat successibus æther,
Teque addas tardum sydus ad astra poli.

Tributum grati animi

VICTORI CORDIUM NICOLAO &c.

Aliud Eidem Carmen, Scriptum itidem Cracoviæ VIII. Id. Dec. 1738.

Læta dies oritur, natalibus inclyta Patris,
Præsulis indigetis nomine clara dies.
Cura sed incumbit Vati, quas sumere partes:
Dicere num laudes, an tacuisse iuvet?
Nimirum messis tot rerum densior instat,
Et dicendorum pullulat ampla seges.
Ipsa sub immensâ laudum mens mole fatiscit,
Exsuperat captum copia tanta meum.
Eloquar an sileam? parvæ me dicere vires
Magna vetant, sed me dicere cogit amor.
Cogit amor Patris, quidni paremus amori?
Si mihi lingva negat, verba ministrat amor.
Vos modo, vos cœptis Aonia turba, sorores
Aspirate meis, ut bene cedat opus.
Utque queam facili comprendere singula versu,
Tu mihi rite favens Delius Augur ades!

In viridi nuper dum carpo cespite somnum,
Accessit vatem dexter Apollo suum.
Agnosco Numen, facies splendore coruscans,
Æthereum placido vibrat ab ore iubar.

Crispatur

Crispatur crinis rutilanti concolor auro,
Æmula syderibus lumina fronte micant.
Haud aliter radiat venturi prodroma solis,
Nocte solet pulsâ cùm remeare dies.
Sic mediâ fulget consistens Titan in auge,
Clarius aut si etiam sole quid esse potest.
Js mihi mox tali discussit voce soporem:
Linque thorum mollem, me comitare Ducem.
Protinus exsilio, detergens pollice somnum,
Et celer adstantis iussa capesso Dei.
Quàque præit, meditante sequor vestigia passu,
Mox patrios cerno, limina cara, lares.
Ut vidi stupui, causâ geminante stuporem:
Namque meum subito miror abesse Ducem.
Jubila, quæ totas implebant vocibus ædes,
Altera non parvi causa stuporis erant.
Accedo propius, cupidus lustrare, quid intrà
Septa domûs geritur, mox mihi cuncta patent:
Pars epulas celebrant, libantes pocula Bacchi,
Pars ciet applausus, votaque mille sonant.
Turba domûs, Dominum: Patronum, turba clientûm
Prædicat, obsequiis ingeniosa suis.
Jnterea tacito perpendo singula sensu,
Lætitiæ dubius quæ sit origo novæ.
Nubilis an celebret Genitor sponsalia natæ,
Adsciscens generum nobilitate parem?
Hoc etiam subiit mentem: num prole recenti
Gestiat aucta domus, vel novus hospes adest?
Talia dum meditor; dum pectore cuncta revolvo,
Et mens attonito fixa stupore manet.
Conspicio fratrem, sed quem mihi, nescio certè,
Seu sors obtrusit, seu Deus ille dedit.
Postque tot amplexus, fraternique oscula vultûs,
Lætitiæ quæ sit, dic mihi, causa, rogo?
Jlle renidenti subridens nonnihil ore,
Mox tenero tales inchoat ore sonos:

Usque

Usque adeone Tibi Lux hæc ignota? Parenti
Natalem, quam sors præbuit alta Deûm.
Quâ lumen cœli primùm conspexit, & auras
Vitales tenero carpserat ore puer.
Vix ea fatus erat, cum vi stimulatus amoris,
Prosternor patrios cernuus ante pedes.
Et veniam supplex humili cum voce reposco,
Meque reor magni criminis esse reum.
At Pater aspectu placido, vultuque sereno
Respiciens stratum: Nate quid, inquit, agis?
Non ea culpa tua est, nostram mereatur ut iram,
Jmo corde Patris stat tibi certus amor.
Hæc ego dum sensi, mentemque animumque recepi,
Congeminans laudes votaque voce piâ:
O Pater! ô nostri dignissime nominis Author!
Unica natorum spes, columenque domûs!
Jnfinita foret series, si promere vellem
Acta senectutis tot memoranda Tuæ.
Namque Tuæ laudes alii cecinêre iuventæ,
Materies laudum sola senecta mihi est.
Haud tamen est tanto suppar mea Musa labori,
Tot decora & dotes enumerare Tuas.
Ecquis enim valeat cunctas describere? certè
Penna tot & tantis non satis una foret.
Ergo iuvat potius venerari cuncta tacendo,
Quàm forte in laudes dicere pauca Tuas.
Non ego devotè cultas hic Numinis aras
Dicam, non quidquam de pietate loquar,
Plurima non largæ memorabo munera dextræ,
Et data pauperibus dona favente manu.
Nec celebrabo caput fulvo pretiosius auro,
Quasvè animus, vel quas mens habet intus opes.
Quod superest, nec enim fandi mihi magna facultas,
Candida devoto pectore vota fero:
Vive diu, lætas fortunatissimus horas
Exige, duc hilares & sine nube dies.

Aurea

Aurea tergeminæ Tibi ducant penſa ſorores,
Juraque fatorum ferrea vince Pater.
Succeſſisque Tuos ſucceſſibus augeat æther,
Fortunâ lætas continuante vices,
Quæ Tua, quò perges, veſtigia ritè ſequatur,
Conſtantem ſervans ſemper amica fidem.
Fama Tuas laudes circumferat omnibus oris,
Fama perenne Tuum nomen ubique canat,
Vocibus aſcendas, populique per ora feraris,
Audiat applauſus ultima Thule Tuos.

NEXUS VOTORUM

AD CORONAM NOMINIS &c.

Carmen Onomaſticum Clmo. Domino

STEPHANO MONSIORSKI

in Alma Univ. Crac. protunc Poëſeos Profeſſori, poſtea Acad. Poſn. Directori. Scriptum nomine

FELICIS ŁABUDZINSKI

ſui tunc diſcipuli, nunc Conventualis Minoritæ.

Crac. 1737. *d.* 26. *Dec.*

Linquite dilectum vobis Helicona Camoenæ,
Linquite Parnaſſi montis amæna iuga.
Hucque, ubi conſurgit Cracii ſtructura Lycæi,
Ferte citos paſſus, accelerate pedes.
Non tamen hic vacuis manibus properare licebit,
Sed ſacras lauros dextera plena feret.
E quibus inſignem capiti Clio necte coronam,
Quâ Tibi Proffeſſor condecorandus erit.
Profeſſor

Profeſſor ſvadæ digniſſimus ille ligatæ,
Muſarum columen, Pieridumque decus.
Profeſſor, Cuius, revolutis menſibus anni,
Natalem colimus concelebrando diem.
Quem pietas, animi candor, reſpectus honeſti,
Atque tenax recti nobilitavit amor.
Ardua quem ſuperis virtus æquavit honore,
Jngenium ſummis fecit ubique parem.
Singula quid memorem? cùm tot deſcribere dotes,
Penna tot & laudes non queat una ſatis.
Nec tenero Vati ſupereſt niſi ſola facultas
Cum votis plauſus congeminare pios:
Vive itaque, & longos vitæ metire Profeſſor
Clare dies, fati nil Tibi vis noceat.
Quòque pedem vertas, fortuna ſequatur euntem,
Et faciles habeas in Tua vota Deos.
Atque ubi iam longi curſum confeceris ævi,
Pro meritis STEPHANO det ſtephanoma Polus.

ONOMASTICON

ANDREÆ PRÆCEPTORI

nomine unius diſcipulorum

1751.

AUſpicium vitæ fuerat quæ ſola beatæ
Crux Tutelaris, plauſibus iſta meis
Commodat auſpicium, tituloque hoc vota feruntur,
Quæ Tibi devoto pectore promit amor:
Nempe ubi poſt multas decades tranſegeris ævum,
Crux Divi feram ſignet ad aſtra viam.
Jnterea quæ dona damus, ne ſperne, tributum
Mentis enim gratæ munera noſtra ferunt.
Sunt ea parva quidem, meritisque minora, fatemur,
Hæc tamen addictum cor pretioſa facit.

Munera

Munera non igitur, nostram sed suspice mentem,
Grataque sic fuerint munera parva Tibi.

Pignus obærati animi etc.

Carmen Onomast.

ANTONIO KRAIEWSKI

S. Theol. Aud. scriptum Cracoviæ 1739. d. 13. Iunii.

FEsta dies remeat, Divo lux sacra Patrono,
Quæque Tibi vitam lux dedit, illa redit.
Cuius dùm geminos mea musa recogitat actus,
Applausus lætos congeminare iubet.
Hos ego corde fero, quia non licet ore fateri,
Dum prohibet coram dissita terra loqui.
Penna tamen superest, plausus quæ nuntiet istos,
Quam dedit in laudes ingeniosus amor.
Hos inquam Tibi penna feret properante volatu,
Sveta aliàs vocis penna subire vias.
Hæc quoque narrabit breviter præconia laudum,
Si quas de tantis pagina stricta capit.
Sed dotes numerare Tuas, quas mens animusque
Possidet, esset idem, quod numerare atomos.
Denique votorum summam Tibi penna notabit,
Et reteget, quidquid pectore condit amor.
Scilicet ut vivas annum, quem cura Metonis
Attica collegit, Nestoreosque dies.
Utque Tuis faveant præsentia numina rebus,
Nec desint votis astra benigna Tuis.
Quòque pedem gressumve feres, Tibi semper eunti
Sit fortuna comes, teque sequatur honor.

Plura

Plura locuturo Vati non verba supersunt,
Materies rerum sit licet ampla satis.
Nec mihi, si possem, fas est plus dicere: namque
Penna levis tantum haud ferre valeret onus.

AD EUMDEM

Familiarem suum, Epistola scr. 1742.

Questibus insolitis nostras impleverat aures,
Quam dederas, doctis littera scripta notis.
Parce precor levibus cœlum temerare querelis,
Ut doleas, certè nil rationis habes.
Quidquid enim scripsi, scripsi non mente nocendi,
Quæ legis, innocui, sunt ea cuncta, sales.
Quodque nihil longo tua tempore dextera scripsit,
Damnavi querulâ non ego voce moras.
Endymion neque Tu fueras dicendus Amice,
Utpote quem prohibet cura sopore premi.
Hæc mora nimirùm scribendi, non mihi somnus,
Dicenda est titulo sed meliore quies,
Quam sequitur maior motus, patet ecce recenti
Exemplo, cuius dant Tua scripta fidem.
Nam diu cessatas decuplo cum foenore nobis
Scribendi reddis restituisque vices,
Et decies illud reficis, deciesque rependis,
Omissum segni quod fuit ante morâ.
Ergo modum, finemque tuis iam pone querelis,
Quasque damus grates, suscipe corde pio.
Has quoque fert animo grato Par nobile fratrum,
Præceptis nuper subdita turba Tuis.
Quorum vota sequor primus licet ordine Frater,
Quique fui quondam, sum maneoque Tuus.

I V.

JUVENILIA.

——— *liberius si*
Dixero quid, si forte iocosius, hoc mihi iuris
Cum venia dabis. ———

Hor. lib. I. Sat. IV. v. 102.

AD CRESCENTIUM TAURINUM.

Ille ego, qui nuper modulatus in * urbe Leonis
Virginibus, Paphiae carmina sacra Deæ,
Varsoviam cogente redux quo nescio fato,
Flebilis heu mæstos cogor adire modos
Non mea dilecto hic recreantur lumina vultu,
Nulla Sophia domi est, nulla Theressa domi.
Non hic pulchellas STEPHANILLAS, totque LATINAS
Quot Charites numero nempe, videre licet.
Non HADZIEWICIA prognatam stirpe puellam,
Dos cui cum forma contigit ampla satis.
Denique nulla subit nostros formosa penates,
Ut miser exilium suspicer esse domum.
Sic solus Vates vacuas errando per ædes,
Delicias oculis ploro fuisse breves.
Hæc toleranda tamen nobis fortuna fuisset,
Ni foret aspectu JULIA rapta meo.
JULIA Rossiacas inter formosa puellas,
JULIA virginei lausque decusque chori.
Quâ sine dulce nihil, si non meminisse priorum,
Namque recordari dulce ea semper erit.

Sed

* *Leopoli* in *Russia.*

Sed quid ego longas repeto sine fine querelas,
Clare Vir ingenio, sed bonitate magis.
Tolle mihi curam, si vis auferre dolorem,
Redde oculis, gratum quod fuit usque, meis.
Redde meis lachrymis solamen dulce Puellam,
Posse Tibi superest, si modo velle subest.
Posse Tuum magnum est, quis enim TAURINE negabit?
Quod si velle iuvet, JULIA Vatis erit.
Ergo meis faveas precibus, non vile laborum
Te pretium invitat: LESBIA cara Tibi.
Hæc Tua semper erit, modò nostris annue votis,
Hæc Tua semper erit, JULIA dum mea sit.

scr. 1747. *d.* 27. *Dec.*

AD

RHENICUM SENESIUM. DRESDEN.

Mane salutatum veniens, dum fungor amici
Officio, lecto Te iacuisse ferunt.
Nil vetat, accedo, & dictâ pro more salute,
Pauca loquor, demùm sciscitor: à me lia
Luce quid acturus fueris? dixisse recordor:
Velle animi vires Te recreare Tui
Me socio, modicùm spatiando sive per hortum,
Sive suburbani læta per arva soli.
Ergò, dum cœlum vultu ridere sereno
Cernis, pelle moras, imus uterque simul.
Et notum Gr. . . i ambo properemus ad hortum,
Uxor erit nobis officiosa. Vale.

1750. *d.* 22. *Maii.*

PETRONELLA QVERCIA VARSAVIENSIS

RHENICO SENESIO DRESDENSI

Corculo suo. Salutem 1750.

QUam nisi Tu dederis, nunquam est habitura, salu-
Saxonico mittit Galla Puella Viro. (tem
Par equidem fuerat, prior ut contingeret à Te
Heu vacuas dudùm littera missa manus.
Me pudor & sexus vetuit scripsisse priorem,
Fortis at evicit, scribere iussit amor.
Jussit amor, cuius non est contemnere tutum
Leges, quem & superis iura dedisse scio.
Jlle suis miseræ torret præcordia flammis,
Quas desiderium suscitat usque Tui
Scilicet absentis, nostris oculisque remoti,
Qui tamen infixus corde animoque sedes.
Continuâ siquidem versaris mente Puellæ,
Te cedente die, Te veniente cano.
Surdus es, at video, nec Te miseratio tangit
Virginis afflictæ, ferrea corda geris.
Hoc erat! hoc, animo quod divinante timebam,
Jpsa sui Vates præscia nempe mali.
O felix (a) Acco! Lechico dignara marito,
Spernere Saxonicos docta puella thoros.
Cuius possedit geniali fœdere lectum
Sarmata, non ficto pectore Saxo levis.
O utinam, nostras qui Te deduxit ad ædes,
Frangeret in primo limine crura (b) Minos!

Utpote

(a) *Gallica Virgo, consors G.* Dylewski *Aulici Regii.*
(b) *Proxeneta, sive Pararius hymænei.*

Utpote tantorum mihi fons & causa malorum,
Author amicitiæ, notitiæque faber.
O quoties pro Te suscepi perfide vota!
Vota mea in ventos heu! abiêre leves.
Jngrato, quorsum suspiria corde litata?
Quorsum tot curæ nocte dieque graves?
Quorsum oculi lachrymis pro Te maduêre coortis?
Hæccine sunt meritis præmia digna meis?
Quò mihi confessus, quò dulcia murmura lingvæ?
Et lepidos inter oscula mista iocos?
Quò Tecum in rheda cursus per amœna locorum?
Quà (a) Brühliæ thermæ, qua Nova Villa iacet.
Quàque Lubomirii Ducis arx, cui nomen Uiazdow,
Quàque (b) Romualdi grex loca sacra colit.
Quò iunctis unà peragratus passibus (c) agger?
Quem mole augustâ Regia celsa premit.
Hic, ubi conveniunt Dryades, Satyrique salaces,
Cum radiis fulget luna serena suis.
Siccine Vistuleo tibi gurgite carior Albis,
Volvens limosas turbidus Albis aquas?
Siccine es inconstans, & amata relinquere pernix?
Varsoviâ potior siccine Dresda Tibi est?
Siccine iuratæ convellis fœdera dextræ,
Eumenidum dignus Bassaridumque thoris?
Sumite nunc ex me vobis exempla Puellæ,
Quæ Dresdæ incolitis Varsoviæque solum,
Supplicioque meo prudentes discite: amantûm
Promissis tardam semper habere fidem.
O utinam verbis (d) Nicolini credere vellem!
Heu nimium dictis credula Virgo Tuis.

Hæc

(a) *Thermulæ, vulgò* Łazienki, *suburbanum Vars.*
(b) *Nemus Camaldulensium ad ripam Vistulæ, vulgò* Bielany.
(c) *Terrasse du Chateau de Varsovie, ou se tenoit jadis la foire des filles, toutes les soirées d'été.*
(d) *Cantatoris spadonis regii.*

Hæc etenim fieri video, quæ dixerat; at Tu
Ambiguâ Protheus das mihi verba fide,
Das mihi verba, dolis instructus & arte Pelasgâ,
Verbaque sunt foliis, sunt leviora Notis.
Credula res amor est, est credula quæque puella,
Fallere credentem, laus levis inde Tibi.
Sed neque pacatus periuria temnit amantûm,
Negligit aut surdâ Juppiter aure preces,
Quoque gigantæos olim compescuit ausus,
Fulmineo elusam vindicat igne fidem.
Tu ne lude Jovem, teneram ne lude puellam,
Officiique precor sis memor usque Tui.
Esto gratus amans, & perge favere faventi,
Cor mihi trade Tuum, vel mihi redde meum.
Desine crudeli miseram cruciare dolore,
Jam satis est pœnæ suppliciisque datum.
Redde vicem meritis, fidam solare puellam,
Maturo reditu damna repende moræ.
Rumpe moras, nobis invisam desere Dresdam,
Si renuis, vitæ stamina rumpe meæ.
Heu propera tandem nostras lenire querelas,
Nec mihi rescribas, sed celer ipse redi.

MISCELLA-

V.

MISCELLANEA.

CHORUS L. ANNÆI SENECÆ

ex tragoedia HERCULES FURENS *decerptus, et ex Asclepiadeis, versibus hexametris redditus.*

O Fortuna viris animosis invida! quàm non
Dividis æqua bonis tu præmia? quæ facis ille
Eurysthêus ut regnet iners, atque otia ducat:
Alcmenâ genitus, per cuncta pericula dextram
Cœliferam exagitet monstris sine fine domandis,
Serpentis resecet toties nascentia colla,
Auferat elusis & mala sororibus audax,
Cum somno dederit sua lumina pervigil ille
Divitibus pomis draco pro custode relictus.
Intravit Scythiæ notas erroribus ædes,
Sedibus & patriis populum hospita tecta colentem,
Calcavitque freti glacialia terga rigentis,
Et mare littoribus tacitum sine murmure mutis.
Illìc dura carent spumantibus æquora ventis,
Et quà plena citæ tendebant carbasa naves,
Passibus intonsus securis Sarmata currit.
Mobilis alternis vicibus stat pontus in anno,
Nunc equitem, nunc ferre capax cum remige puppem.
Illic

Jllìc, quæ viduas gentes sub iure coërcet,
Aurato religans spirantia viscera cinctu,
Nobile detraxit spolium de corpore pulchro,
Et peltam & niveum stringentia vincula pectus,
Suspiciens flexo victorem poplite celsum.
Quâ spe Lethæas interritus actus ad undas,
Audax ire vias nulli remeare parentes,
Vidisti Siculæ pallentia regna Puellæ.
Jllic nulla Noti, non dulcior aura Favoni
Jmpellit tumidis consurgere fluctibus æquor:
Non illic geminum genus, albæ pignora Ledæ,
Succurrunt timidis concordia sydera nautis,
Jgnavum nigro pelagus sed gurgite languet.
Et cùm mors, avidis quæ dentibus omnia vastat,
Manibus innumeras invexit pallida gentes,
Uno tot populi sub tartara remige migrant.
Evincas utinam stygiæ decreta paludis,
Parcarumque colos, & nescia fila reverti.
Heic, qui rex populo dat tristia iura silentûm,
Bello cùm peteres annosi Nestoris urbem,
Tecum conseruit collato robore dextram,
Tergeminâ vibrans præfixum cuspide telum:
Saucius exiguo sed tandem vulnere fugit,
Pertimuitque mori, mortis licet arbiter esset.
Fatum rumpe manu, prospectus tristibus umbris
Æthereæ pateat tenebroso é carcere lucis,
Jnvius & facilem limes det in astra meatum.
Jmmites dominos umbrarum, voce precante
Et mirâ potuit dulcedine flectere cantûs,
Orpheus Eurydicen repetit dum faucibus orci.
Quæ sylvas & aves & saxa carentia motu
Ars traxit, fluviisque moras iniecerat ipsis,
Ad cuius sonitum sylvestria bruta stetêre,
Vocibus insolitis immania tartara mulcet,
Clarius inque locis resonare videtur opacis.
Deflent Eurydicen Thraciæ matresque nurusque,
Difficilesque Dii lachrymis miserantur obortis,
Et

Et qui fronte nimis, commissa piacula, torvâ
Excutiunt, veteresque reos cruciatibus urgent,
Flentes Eurydicen, placatâ mente quiescunt.
Tandem mortis atrox, iam vincimur, Arbiter inquit,
Evade ad superos sed conditione receptâ,
Tu post terga Tui coniunx succede mariti,
Tu non ante Tuam consortem respice Vates,
Quàm cùm clara dies lucis submiserit ortum,
Tænariasque fores, & cognita limina cernas.
Odit amor, nec ferre moras vult fervidus ullas,
Perdidit incautus, properat dum cernere munus.
Regia quæ vinci poterat iam cantibus olim,
Viribus hæc eadem poterit quoque Regia vinci.

Virtutem & ingenium sub quolibet cælo nasci posse.

Sparta Viros non sola parit, non sola superbè
Gignere se doctos Ausonis ora putet.
Nec rigido cœlo, crassoque sub aëre natos,
Jngenio tardos æstimet illa Viros.
Namque licet nasci Romæ, sit gloria prima,
Non ea, dicenti credite, sola tamen.
Sunt & erunt docti, semperque fuêre POLONI,
Sub gelido nati sint licet axe Viri.
Sed quis erit, numerare queat qui carmine Vates,
Clara sub Arctoo nomina nata polo?
Hoc tamen ut possint alii præstare, Camœnæ
Exsuperat vires copia tanta meæ.
Non ego Cardineo Te HOSI! venerande galero,
Designata Cui trina tyara fuit:
Non quos Præsuleis ornavit Varmia vittis:
Te *Dantisce* loquar, Teque *Cromere* loquar.
Non *Orichovios*, *Dlugossos*, non ego *Fredros*,
Patritios metro non memorabo meo:
Quorum

Quorum, qui fuerint qualesve, relicta Minervæ
Testantur cunctis id monumenta palam.
Neque ego *Simonidas*, *Cochanoviosque* Poetas,
Ianitios, *Cricios*, *Tricesiosve* canam.
Non *Sarbievios*, sexcentaque nomina, quorum
Laus viget in Lechia, laus viget in Latio.
Torque alios Vates, dignos meliore Camœnâ
Quàm mea, namque mihi parvus aratur ager.
Alpibus à nobis divisi, hinc discite: posse
Sub cœlo nasci quolibet ingenium.

AD
BIBLIOTHECAM ZALUSCIANAM
absente suo Conditore orbatam.

PRAESUL abest laribus plus quàm trieteride plenâ,
Tecta gemunt, & Tu *Bibliotheca* gemis.
Præsul abest: grex absque suo Pastore relictus
Kiiovius plangit, *Bibliotheca* gemis.
Præsul abest: eheu! tanto viduata Patrono
Anxia tot curis *Bibliotheca* gemis.
Præsul abest Tua Lux: Præsul Tua summa voluptas:
Præ desiderio *Bibliotheca* gemis.
Præsul abest: quo Tu præsente beata vigebas,
Nunc deserta domus *Bibliotheca* gemis.
Præsul abest: Domino mærent absente penates,
Orba Parente Tuo *Bibliotheca* gemis.
Orba gemis, votisque suis Hunc usque requiris,
Vota precesque sonant nil nisi: Præsul ades!
Præsul ades! decus ô nostrum, ô mea maxima cura!
O desiderii summa caputque mei! . .
Fallor? an exultans nostras vox perpulit aures?
Præsul adest! iam non *Bibliotheca* geme.
canebam V. Non. Mart. Anno 1771.

IN REGIUM

IN REGIUM INSIGNE
CIOŁEK.

Qui tulit Europam validâ cervice JUVENCUS,
Fortunam Lechiæ solus & ille feret.

In Stemma POGONIA dictum
THEODORI DUCIS
in *Klewan* & *Zukow*
CZARTORYSKI
EPISCOPI
Posnanien. & Varsavien. &c.

I.

DIc ô fortis Eques, cursûs quæ meta citati?
Meta mihi, totus quà patet orbis, ait.
Cur clypeum manus una gerit, fert altera ferrum?
Apta, inquit, geminis usibus arma gero.
Districtus mucro patriam tutatur ab hoste,
Aras defendit, protegit Umbo gregem, (a)

II.

Auspicio Ductoris opus, seu militis armis?
Militis & Ducis hic munia præstat Eques.

Pro

(a) *Inscr: Rubricæ Dioeces. Posn.* 1742.

Pro grege, pro Clero, stat Dux, stat Miles in armis:
Jn terris Equitem vix reor esse parem. (*a*)

I I I.

Unus castra facit, pro cunctis militat unus,
Nulla est sub tanto vis metuenda Duce.

I V.

Dextra tenet gladium, clypeo manus altera fulget,
Mucro ferit sontes, protegit Umbo pios.

V.

Magnus Alexander superavit corpora sola,
Maior Alexandro, corda triumphat Eques.

V I.

Orbis in hippodromum Pugili non sufficit isti,
Ergò quo properat quæritis? astra petit.

Inscriptio Cippi Sepulchralis

GEORGII NICOLAI

HÜLSEN

Episcopi Smolensc. Equitis Ordinis Aquilæ Albæ &c. quem, annos æternos in mente habens, vivens etiamnum, poni sibi voluit 1760.

I.

NUllus miretur, tumulo quod condar in isto,
Pastor & agrestes quod cubet inter oves.
Nam si Pastoris munus, dare pro grege vitam,
Pastori & tumulus convenit inter oves.

I I.

(a) *Inscr. itidem Rubrica eiusdem Dioecescos* 1766.

I I.

Hoc tumulo, vitâ functus pariterque labore,
Conditur inter Oves Pastor & ipse suas.
Ut cum lux venerit, quâ cuncta sepulta resurgent,
Jnter Oves possit Pastor habere locum.

Inscriptio tumuli

NICOLAI ET ANNÆ

DESIDERATISS. PARENTUM

AUTHORIS.

QUi tumulum transis, modicùm consiste Viator,
NICOLEOS pater hic, & iacet ANNA parens.
Quattuor hi lustris vixêre & quattuor annis,
Concordes animæ mente toroque duæ.
Septem natorum numerosâ prole beati,
Jnsuper & natas progenuêre duas.
Quos illis curæ teneris imprimis ab annis,
Præceptis rectis instituisse fuit.
Moribus ambo probis: sibi dulce putabat, egentes
Munificâ Genitor posse iuvare manu.
Laude pudicitiæ Genitrix insignis, honorem
Servavit viduâ cum pietate domo:
Orba Viro quatuor lustris annisque duobus,
Nusquàm alium voluit noscere casta Virum.
Dent alii cineri genitorum, ex flore corollas,
Non ego; promeritis det sua serta polus.

AD EOSDEM.

Care Pater! Tuque ô Genitrix dulcissima! vestrûm
Sempiterna piis manibus esto quies.

FLORI-

FLORIANI PATRUI

JUDICIORUM CURIÆ REGNI

ADSESSORIS.

I.

HIc iacet ADSESSOR Tuus olim Curia Regni,
Cura Cui recti iustitiæque fuit.
Moribus antiquis, nulli pietate secundus,
Cunctorum hinc animos traxit amore sui,
Magnatum imprimis, queis Regni summa Sigilli,
Et patriæ legum credita cura fuit.
Fallor, corpus abest, tumulus nisi restat inanis,
Nil præter nomen nobile cippus habet.
Namque ipsum, comitem terris Astræa relictis,
Dum superos repetit, duxit ad astra poli.

I I.

Ergo iacet Patruus? quo iusta superstite causa,
Quove Themis, nusquam lapsa, Statore stetit.
Exornent tumulos aliorum Martia signa,
Hunc tumulum decoret lance vel ipsa Themis.

DE
STANISLAO BIEZANOVIO
LEOP.
Pöetâ Laureato in Alma Univ. Cracov.
oculis capto.

I.

Cæcus eram quamvis, occulatis plus ego vidi,
Cæcâ fronte mihi mens oculata fuit.

I I.

I I.

Luminibus captus fueram, non mente Poëta,
Corporis in tenebris, lux mihi mentis erat.

I I I.

Tiresiæ similis sors nostra per omnia sorti:
Vates ut ille fui, cæcus ut ille fui.

IN COMOEDIAS POLONICAS
F. B. S. J.
absque interventu muliebrium personarum
actas & editas.

ESte procul socci, quos comica Musa Menandri
Induit, Argolicis ludere sveta iocis.
Quosve Afer Latiis aptaverat ille Camœnis,
Vestigium Graii Vatis ubique legens.
Tu quoque cede tuis mollis Moliere theatris,
A muliere cui quæritur omne decus.
Noveris & scenam, rem commonstrante Magistro,
Citra foemineos posse placere choros.
At Tu Theosebes! muliebribus i sine soccis,
Et quo cæpisti, sic bene perge pede.

AD SENEM SENENSEM
NOCTIUM SARMATICARUM AUTHOREM.
Varmius Exetesticus.

DOctis, Sarmaticas noctes vigilando, senile
In cassum curis corpus, UBALDE, teris.
Latius insonuit Latius modò sermo per orbem,
Sarmata præceptis non eget Ausoniis.

IN VERSIONEM POLONICAM

SATYRARUM A. PERSII

per M. Mart. SŁONKOWICZ *in Alma Univ. Crac. AA. LL. Profess. publici iuris factam Crac.* 1651. *à me verò iteratis typis, Vars.* 1771. *editam.*

Desiit obscurus iam tandem PERSIUS esse,
Sarmatico tenebris (*a*) Sole ferente facem.
Lucis egens, nitido (*b*) Martini fulget amictu;
Clarior in Lechicâ, quàm fuit ante, togâ.

DE PRIAPEIIS F. A. M.

post obitum Vatis, Vulcano traditis.

I.

Quæ calor egessit priapeïa carmina Vatis,
Ignibus absumpsit Mulciber illa suis.
Expertus, quanto sit, cornua ferre, pudori,
Haud voluit cornu ferre, Priape, tuum.

I I.

Carmina, quæ lusit priapeïa Naso Polonus,
Mulciber absumens, hos dedit ore sonos:
Cornua sat mihi sunt, quæ Mars plantavit adulter,
Cum cornu pereas, foede Priape, Tuo.

Epigraphe

(a) *Sol,* słońce *Polonis, diminutivè* słonko: *unde cognomen Authoris.*
(b) *De veste* Martini, *quâ nudum pauperem in porta* Ambianensi *catechumenus contexit, res perquam nota vitæ eius lectoribus.*

Epigraphe libelli, dono uni amicorum oblati.

Nil Tibi secretum dantis vult esse voluntas,
Quodque aliàs tegitur mente, revelat amor.
Namque Tibi doctos, Arcana Politica, libros
Cardani, munus corde patente fero.
Exilis doni modicum ne expende tributum,
Ast animum dantis respice, gratus eris.

De antiquitate Armeniæ gentis in orbe terrarum.

I.

Familiæ Patres, Reges ætate fuêre
Priscâ: primus Adam rex fuit atque pater.
Inde secundus Adam, NOE scilicet, orbe renato
Ex undis, alter rex fuit atque pater.
Regibus, Armeniæ regnum succreverat, istis,
Hinc toto Reges orbe fuêre dati.

I I.

Ne mirêre vetus regnum cecidisse, quod orbi
Compar erat, si rex, credis, Adamus erat.
Si dubitas? NOE crede fuit rex primus in orbe,
Armeniæ regni conditor ille NOE.
Hinc Reges venêre omnes, populique potentes,
Mirare Armenios ergo stetisse diu.

I I I.

Arca, Noæ solium: regnum, fuit Armena tellus,
I nunc, & veteres esse nega Armenios.

Epigrammata aliquot Anagrammatica.

I.

Progr. *Diva Catharina.* Anagr. *Hâc audit in arâ.*
Hic lachrymas, hic funde preces, hâc audit in ara
Diva pias lachrymas & CATHARINA preces.

I I.

Progr. *Sancta Cæcilia.* Anagr. *Cœli acta canis.*
Acta canis cœli, Cæcilia sancta vocaris.
Organa cum sacro nomine conveniunt.
v. Consonat ad nomen vox bene, Virgo, Tuum.

I I I.

Prog. *Olympia.* Anagr. *olim pia.*
Cum pia tu non sis, Olympia quare vocaris?
Non sum nunc, olim sed pia Virgo fui.

I V.

Progr. *Laurentius.* Anagr. *In te laurus.*
Conquirant alii lauros, Laurentius es tu,
Est in Te laurus, nomen & omen habes.

V.

In obitum Comitis Mauritii, *Herois Saxonici, supremi copiarum Galliæ Polemarchi.*

Progr. *Mauritius.* Anagr. *Mars vivit.*
Non totus rapitur Gallis Mauritius Heros,
Funera post sua, Mars nomine vivit adhuc.

Mulier bona.

Inter fœminei multa olim millia sexûs,
Quæsita est, omni quæ bona parte foret.
Posse tamen credo reperiri è millibus unam,
Nonne inter spinas est reperire rosam.

Uxor

Uxor corona Viri.

Jure Viri Coniunx decernitur esse corona.
Si bona sit, rosea est. spinea, si mala sit.

ex græco SIMONIDIS.

Nil melius consorte bonâ quit habere maritus;
Coniuge nilque malâ peius habere potest.

In luscum zelotypum, ex gallico.

Lusce tuam frustra vis custodire maritam,
Jgnibus atque meis opposuisse moram.
Si vigil ille suam nequiit servare iuvencam,
Et si oculis centum præditus Argus erat.
At tu sis oculo cum tantùm præditus uno,
Quo pacto custos coniugis esse potes?

In quosdam Iugales.

Par deforme, thoros extinctâ luce subintrat;
Non decuit thalamos hos nisi nocte tegi.

In quosdam alios.

Sponsa procis facilis: sponsus trahit ore falernum;
Cum Bromio Venerem quàm bene iunxit amor!

VARSOVIA Syren urbium Poloniæ Syrenum ferax Civitas.

I.

Quot pontus pisces generat, quot campus aristas,
Lumina quot noctis stellifer axis habet:
Formosas tot habet VARSOVIA (a) Syren alumnas,
Vistula quam riguis alluit amnis aquis.

I I.

Jnclyta se iactat Syrene Neapolis unâ,
Parthenopes nomen de moriente ferens.

 Jnter

(a) *Varsoviæ insigne:* SYREN *Vistulæ innatans, unâque manu scutum, alterâ ensem præferens.*

Inter Sarmaticas urbes VARSOVIA Syren,
Adſerit hoc nomen juſtius eſſe ſuum,
Syrene Urbs Iralûm moriente ſuperbit & unâ,
Urbs tot vivarum Sarmatis una ferax,
(*a*) Syrenas totidem numerat, quot nempe Puellas;
Æquius hinc dici Parthenopea poteſt.

Vinum lætificat cor hominum.

Ambroſii calices, ſvaviſſima pocula Bacchi,
Vos curam auferris lætitiamque datis.
En ego ſum primus, qui lætos induo vultus,
Haurio dum gratis dulce bonumque merum.

Vinum lac ſenum.

Imberbis iuvenis, barbato dixerat inter
Convivas plures: ſæpe ſenex puer eſt.
Hunc prope, plena mero dum pocula conſpicit ille,
Si puer, inquit, ego, lac mihi porge ſenum.

In merobibulum.

Vino uni plenas ſervabat ciſta lagenas,
Quam reſerans, hauſit ſæpius inde merum.
Totaque mox implens repetitis tecta querelis,
Exhauſtum furtim clamitat eſſe merum.
Parce queri, ſervare merum te lurco docebo:
Fauces, non ciſtam claudere diſce tuam.

Amor ut ignis.

I.

Conſimiles ratione pari ſunt ignis amorque,
Fomes alit flammam, fomite creſcit amor.

I I.

Conveniunt ſecum naturâ amor, ignis, eâdem,
Neſcit enim latebras ignis amorque pati.

(a) *Puellæ Varſovienſes, urbis ab insigni* SYRENES *vulgò vocantur.*

I I I.

Vis eadem eſt ignis, pariterque potentis amoris:
Ignis enim lignum, cor levis urit amor.

Amor ut lachryma.

Incipit ex oculis, in pectus deſinit, ergo
Par amor eſt lachrymæ conditione ſuâ.

Amor omne pretium ſuperat.

Fragm: ex ſchedis.

Non ego divitias, æraria non ego Cræſi,
Aurea non Phrygii munera quæro ſenis.
Non lapides illos, pretium quibus inde, remoto
Orbe quod adveniant, creſcere grande ſolet.
Non opibus ſtudeo, non ſunt mea cura, theſauri,
Cor modò ſi tradas, ſat mihi dives ero.
Cor mihi virgo tuum ſi tradas; proque theſauris,
Proque opibus fuerit, cor mihi virgo tuum.
Cor pro divitiis Cræſi, quibus ille tumebat,
Denique pro auratis muneribusque Midæ &c.

In Nanum ſuperbum
ex Polonico JO: GAWINSKI.

Forte ſemel Nanus conſcendit terga cicadæ,
Seque elephante ſuper credidit ille vehi.
Quæ cito proripiens ſe cum ſeſſore ſuperbo,
Excuſſit dorſo pondus inane ſuo.
Non hic meta mali: calce exſultante cicadæ
Protritus miſerè Nanus inanis erat.
Riſerat hoc aliquis, lachrymans cùm Nanus ad illum:
Heu! gravior lapſus non Phaëtontis erat.

Ad Glaucum.

Ad te cùm venio, recitas mihi carmina Glauce,
Vanaque ieiuno nonniſi verba crepas.

Verbis

Verbis nemo satur, non implent carmina ventrem,
Da potius cænam, desine verba dare.

Ad Zoilum.

Zoile, nostra placent aliis, at non tibi soli,
Cui sua scripta nisi, non aliena placent.
Sat mihi, si placeam paucis: tu, dummodo cunctis
Displiceas, soli perge placere tibi.

Ad Eumdem.

Nostra probant alii, tu Zoile despicis unus,
Utere consilio, non lege nostra, tuo.
Nec tamen id satis est, potius sed scribere perge,
Non placitura aliis, ast placitura tibi.

Mors nullis arcetur repagulis.

I.

Limina ferratus tibi pessulus omnia claudat,
Jnvenient tandem fata maligna viam.

I I.

Cæca licet mors sit, tamen omnia claustra domorum,
Et bene munitas scit reserare fores.

I I I.

Ostia mille feris quamvis bene clausa tenebis,
Arcebit mortem limine nullus obex.

Omnia subiecisti pedibus eius.
Ps. VIII. v. 8. Fragm.

Cuncta pedes hominis DEUS infrà iusserat esse,
Cunctaque subiecit, terras pelagusque profundum,
Et pisces, & aves, & mente carentia bruta.
Jpsum etiam solem, solis lunamque sororem,
Sparsaque per vasti laquearia sydera cœli,
Usibus humanis addixit tempus in omne &c.

In claves

In claves Petri.

Quid sibi bina Petri vult clavis? scilicet una
Astra bonis aperit, claudit at illa malis.

Samson infractus à leone, frangitur à muliere.

Samson, qui stravit debellavitque leonem,
Fortis ab imbelli vincitur ipse lupâ.

Apposui digitum ori meo &c.

Uno, non satis est, digito si labra premantur,
Tota manus, ne quid proruat, ora premat.

ex græco.

Perge modò, & durum quod primâ fronte videtur,
Efficiet constans id tibi cura leve.

Poëta ad Divitem.

Auro tu gaudes, ego lauro gaudeo Vates,
Nam tibi Dis deus est, numen Apollo mihi.

Pictoribus atque Pòëtis &c.

Affines sibi sunt Pictores atque Pòëtæ:
Fingere nam his, illis pingere quæque licet.

Item.

Semper erit, semperque fuit solemne Pòëtis
Omnibus, arbitrio fingere quæque suo.

Ad Glaucum, Pòëtæ nomen affectantem.

Dum tua metra lego, fateor quod, Glauce, Pòëta
Non poteris dici; Versificator eris.

Cur hodie rari Poetæ?

Cur hodie marcent hederæ, laurique Pòëtis?
Aureus has largâ non rigat imber aquâ.

Magna mutatio loci non ingenii.

Quid peragrare iuvat diversi climata cœli?
Quidve calens alio quærere sole solum?

Si levitas

Si levitas animum, stupor ingeniumque fatigat,
Nec cultura tuis moribus ulla venit.
Cœlum non animum mutans, discedit asellus,
Discedit vitulus, Bos, Asinusque, redit.

Sæpe potentes premunt innocentes.

Justum sæpe potens vir vexat & urget iniquus,
Opprimit innocuum visque maligna virum.
Sic lepus innocuus cum sit, mitisque sit Agnus,
Dentibus ille canis carpitur, iste lupi.

Pretium doni ab affectu.

Dantis ab affectu pretium sibi munera sumunt,
Parvaque magnus amor dona valere facit.

Magnates muneribus non sunt colendi.

Munera si domino tribuis, si dona potenti,
Nil agis, affusâ non eget amnis aquâ.

Filius corona patris.

Esse corona Patris, natus si dicitur omnis,
Rex dicendus erit quilibet ergo Pater.

Cur aurum pallet?

Pallida cur auro species, timet anne metallum?
Insidias furum, quod vereatur, habet.

De lupo problema.

Syllaba prima Lupo correpta est: anne quod agnos
Corripit? in fovea corripiturve Lupus?

Musca. Musa.

Si de quinque mihi dematur littera quarta,
Musa canam versus, quæ modò Musca strepo.

Dominus. Do minus.

Te dare plus deceat, Dominus si rite vocaris,
Do minùs & Dominus non bene conveniunt.

Mars

Mars. Ars.

Tolle caput Marti, proles sine vertice Martis
Ars erit, ex trunco filia nata patre.

In Quinctum Carminatorem.

Portentosa tuis illinis carmina chartis,
An tibi pro Musa, Quincte, Medusa placet?

In Paulum mystam rapacem.

Accipe, Præsul ait, tibi dum sacra mystica tradit;
Presbyter haud es tu, Paule, sed accipiter.

In Porcium Grunnionem.

Non ego dico meum, quoties te nomino fratrem,
Te potius fratrem, Grunnio, dico suum.

Ante quadrupedem pöema ne cantes.

Tu cave quadrupedi dium cantare poëma,
Neu iacias gemmas carminis ante sues.
Auriculas Midæ demulcet fistula Panis,
Ridentur Clarii plectra canora Dei.

In Zoilum.

Improbe quid nostros fastidis, Zoile, versus?
Sparsa est innocuis pagina tota iocis.
Ni depravati vitio sit forte palati,
Quod nec Cecropium mel sine felle putat.
Aut ne mica tuo salis est in corpore toto,
Desipiunt omnes si tibi barde sales.

VERSIO

VERSIO LATINA

quorundam Carminum Polonicorum,

quæ in (*a*)

ANECDOTIS JABLONOVIANIS

ſuis locis reperiuntur.

extat adiecta ad calcem eiuſdem operis. anon.

Pag: 292. l. c.

VOs quoque vel memorare brevi ſermone licebit,
Quos mente in memori ſæcula ferre decet,
Dum ſtabit hæc orbis moles circumflua ponto;
Magnanimi, Regni, nomina clara, Duces:
Te JABLONOVI & SIENIAVI, prima Senatûs
Lumina, Sarmaticæ gloria uterque togæ:
Ambo Palatini, Craciâ ſedet ille curuli,
Huic dederat faſces Belſia clara ſuos.
His accenſendus DÖNHOFF, vir fortis in hoſtem,
Jlle Palatinus, Lublia terra, Tuus,
Sangvine qui proprio docuit, ſolemne DÖNHOFFIS
Eſſe, à ſummo ſic hoſte perire crucis.

Pag. 293.

Sesquicrucem in campo rubeo: PRUSS nobile ſtemma
Jllis, qui tincti fuerant luſtralibus undis,

Ordo

(a) *Prodiit is liber Varſ. ex offic: Typogr: S. P. 1755. in quarto.*

Ordo Theutonicus tribueb it; quique fuêre
Jmprimis bello inſignes & fortibus auſis.
Hinc armata manus ſuperaddita, ſuſtinet enſem
Exertumque vibrat, ceu fert inſigne vetuſtum.
Conſpicui tres inde Viri Principibus orti,
Ordinis in ſummum cepit quos ira Magiſtrum,
Diſtractis pretio fundis in Pruſſide terra,
Coniugibusque ſuis, nec non cum prole theſauris
Jn Lechicas cautè præmiſſis omnibus oras;
Adfuit ut tandem quæſitum tempus, adorti
Nil formidantem proſternunt cæde Magiſtrum,
Atque ſolum vertunt, quos Sarmatis excipit ora
Obſequio caros ſibi belli & tempore pacis,
Auctos fortunis & fundis ære coemptis.
Horum alii ſtirpis ſervarunt ſtemma vetuſtum,
Aſt alii iunxêre ſuis affinia ceris
Stemmata, quæ nuptæ cum dote tulêre maritis.
His ad Sesquicrucem geminas apponere falces
Viſum erat: aſt illis mediam ſupponere avitæ
Sesquicruci ſoleam, demptâ de falcibus unâ,
Auratumque ſuper crus ponere, nempe quod uni
Pruſſiadum bello fuerat pes enſe revulſus.
Jnde genus clarum fert JABLONOVIUS Heros,
Jlle Polemarchus regni, Craciique Senator
Faſcibus inſignis caſtelli, notus in orbe
Artibus & belli & pacis, famâque decorus.
Cuius conſilio, cuius conamine forti,
(Dum foederati compeſcit militis auſus,
Et nocui regno rumpit molimina nexûs)
AUGUSTUS geſſit felicia ſceptra SECUNDUS.

Pag. 387. PRUSS Imo. Origo.

Ardua res dictu, quot quantaque Nomina Pruſſo
Stemmate ſe iactent, quorum qui ſangvinis author
Primus erat (belli longo fervente tumultu
Theutonas & Pruſſos inter) quos geſſit honores,

Jmpenſe

Jmpenso obsequio patriæ meruisse probatur.
Nam cunctis, quorum belli discrimine virtus
Clara reperta fuit, Pruss nomine stemma dabatur:
Tessera Sesquicrucis nimirùm, nobile signum.
Hâc de stirpe Viri tres olim sangvine iuncti
Fraterno, clari meritis, belloque potentes,
Theutonici imperio illos exagitante Magistri,
Accepto pretio latissima præd a vendunt,
Mox irretito technis cæsoque tyranno,
Cum sobole atque aliis cognato sangvine iunctis
Emigrant patriâ, Lechiæque feruntur in oras,
Tradentes Regi munitas mænibus arces.
Hos regni indigenas Rex efficit, attamen illis
Mutare haud placuit servata prioribus arma,
Nil magis exornat sobolem, quàm stemma vetustum,
Præsertim si sit meritis gestisque decora,
Nec solo tumeat maiorum sangvine claro:
Quorum cura fuit magnis gesta addere gestis,
Nunc titulos gaudent titulis cumulare nepotes.

Pag. 388. PRUSS *2do.*

In apice manus armata cum gladio.

Sunt geminæ falces, quas abdita machina versat,
Qualibus ecce lupi capiuntur tempore brumæ,
Exstimulante fame ventri dum pascua quærunt.
Has sibi Venator clarus pro stemmate sumpsit,
Adversum pecori laqueo dum sustulit hostem.
Has gentilitiis MASLAUS gessit in armis,
Masoviæ invasor, Regi proprioque rebellis.
Cui postquàm victo dux belli Prussius Heros,
Eripuit miseram letali vulnere vitam,
Rex ducis occisi natam, pro munere fortis
Obtulit obsequii, & victorem uxore beavit.
Coniugis hic geminas ad falces, iunxit avitam
Sesqui-

Sesquicrucem, generis Prussorum stemma vetustum,
Cui, districto armata manus supereminet ense.
Jnde CRUCEM dæmon: iugulo Thrax perfidus ensem,
Atque lupus laqueum, sibi signa infesta pavescunt.

Pag. 389. PRUSS *3tio.*

In apice Pes cataphractus, curvato genu diadema premens.

Constiterat Laqueus geminis ex falcibus olim,
Mox unâ tandem cum tempore falce reiectâ,
Dimidio Soleæ locus est datus, inde: quod unus
Prussiadum, postquam iunxisset fœdera lecti
Cum consorte POBOG, soleâ quæ fulsit avitâ,
Falcibus ex geminis, quod erat sibi stemma vetustum,
Unam aufert, demptæ supponens coniugis arma:
Dimidium soleæ, divisæ parte relictâ.
Mos erat antiquis, geniali foedere iunctis:
Non animos solùm sociare & corpora lecto,
Concordi ast etiam sua iungere stemmata nexu.
Ast nunc, ne dicam, lacerarent prisca suorum
Stemmata si possent uxores clara Virorum,
Jnvisis etiam ferrent aconita maritis,
Ni procuraret divortia Sacra Potestas.

CARMEN

CARMEN MACARONICUM

de

eligendo vitæ genere.

AD ILLUD IOANNIS KOCHANOVII

POETARUM POLONORUM

PRINCIPIS:

Eſt prope wyſokum, *celeberrima ſylva* Krakovum &c.

parodicè

SCRIPTUM,

1756.

AD

JOSEPHUM ANDREAM

COMITEM IUNOSZA

ZAŁUSKI

Kiiovienſium & Czerniechovien. Antiſtitem

Ordinis Aquilæ Albæ Equitem &c.

Pieridum columen, patriæ decus, Optime Præſul,
Jnclytà *przezacno* quo *Rawa* ſuperbit Alumno,
Rawa Palatinum tribuens *Oycum*que *Dziadum*que.
Quo nunc *uczo.io* pariter, pariterque *pobożno*,
Vicinus *Dniepro Kiiow* Antiſtite gaudet:
Otia *publicznis zbywabunt* ſi qua *zabawis*,
Huc oculos animumque Tuum convertere *raczyſz*,
Jſta *czytaturus*, quæ carmine luſit *ucieſzno*,
Naſza Kochanovii veſtigia Muſa ſeqvuta.
Wszakże etiam *Kato*, quamvis Cenſorius eſſet,
*Poſpolitæ*que rei geſſiſſet *w Rzymie poważnas*
Curas, *częſto* tamen, cùm res ſic poſceret & *czas*,
Jndulſit cyathis, *żartis* indulſit *ucieſznis*.
Te quoque, quem noſtrum veneratur *Polſka* Catohem,
Te, Cuius pendet dicentis ab ore Senatus,
Cuius & *uczonos*, numeroſa volumina, *piſmos*
Rozſławiat noſter peregrinis *ſwiatus* in oris;
Ne pigeat, Præſul, Romani exempla Catonis
*Zwyczaium*que ſequi: *żartis* da tempus *ucieſznis*,
Perlege *mieſzanos*, ridicula carmina, *wierſzos*,
Qualia Merlinus Coccaius luſerat olim:
Perlege ſed vultu læto, ſed mente *weſołd*,
Cum vacat à curis Tibi *wolna godzina poważnis*,
*Zyczliwum*que, JOSEPH, conſerva corde *Jozefum*.

F CARMEN

CARMEN MACARONICUM

De eligendo vitæ genere.

EST prope *Warszawam* pulcherrima ſylva *ſzerokam,*
Quercus ubi ſurgunt, *roſtæque* ad ſydera *ſoſnæ,*
Reſpiciens *Wiſłam,* quâ tenditur uſque Gedanum;
Nota viris alias, & *młodis* nota Puellis,
Cum redeunt *Swiątki* imprimis *zielone* per annum,
A Monachis Albis nomen ſortita *Bielany.*
Jllic, dum variis *troſkis,* variisque *fraſunkis*
Exonerare luber laſſum tantiſper *umyſłum,*
Progredior ſolus nullo comitante *pachołko,*
Muris curarum plenis, atque Urbe relictâ.
Cumque nemus medium pedibus tero, mente *weſołâ,*
Oblectans oculos animumque colore *zielono*
Herbarum, & virides circum ſpectando *gałęzios,*
Ecce mihi quatuor quosdam Fors cominùs offert
Diſſimiles vultu *Mężos,* & diſpare *ſtroio.*
Quorum unus *biało* ex *wełna* veſtitus amictu
Anachoreta ſenex, *ſpuſzczonam* in terga *kapicam,*
Geſtabat, *błyſkans* ingentem vertice *pleſzum,*
Poważnoque siwæ brodæ venerandus honore.
Zwierzchniam alter *ſukniam,* nigroque colore *Sutannam*
Uszytam modno, talos demiſit ad imos,
Huic quoque *pleſzus* erat, ſed eum *peruka* tegebat
Axamitnæo preſſa & decorata *bireto,*
Inſuper auratâ fulgebant pectora bullâ,
Et teres in digito *błyſkabat pierſcień* eburno.
Tertius induerat *kontuſzum* more Polono,
Subtùs habens veſtem, populari voce *żupanum,*
Jlia præcinctus *paſo,* *tłuſtumque żywotum,*
Cui latus ad laevum cum *ſzpiglis Szabla* pependit,
Szabla decus generis, *boku* nec inutile pondus.
Ætatis mediæ Vir, nam ſignaverat annos
Huſarſkus geminas protenſus *wąsus* ad aures.
Obſcuri Extremo fuerat *sukmana* coloris,
Facta magiſterio ſine, veſtis denique *podła,*
Quam ſuper ex humeris Socratica palla fluebat,
Broda Viro, vultusque gravis, qui nempe Sophorum.
Congredimur, dextrisque datis, dictâque ſalute,
Ante alios, Albus ſic me Pater ore *łagodno*
Affatur: certis Ego Fili colligo ſignis,
Lætitiam quamvis ſimules tu fronte *weſoła,*
Secretas, *troſkliwo* animo Te volvere curas,
Forte *niepotrzebnas* etiam pro more iuventæ;
Si quid ineſt igitur placidum quod turbet *umyſłum,*
Et *nieſpokoynam* faciat Tibi denique *głowam,*
Fare, precor, mentemque lubens animumque revela,
Utile conſilium, ni ſpernis, forte *kapica*
Noſtra Tibi feret, eſt etiam ſua *rada* cucullo.
Hæc Pater ille mihi; cui paucis ſic Ego: non me
Nienaſycona tenet *złoti ſrebrique* cupido,
Exulat à noſtris animis procul omne *łakomſtwo,*
Nec me cura coquit, *chciwos zbierare pieniędzos;*
Suffragium plebis ventoſæ non ego venor
Ambitione furens; Animus non captat *Urzędos,*
Chamaleon veluti *wiatros,* titulosque ſuperbos;
Debita nulla mihi, non me gravat æs alienum,
Quod *maladetta* ſolet multis conflare *Baſetta;*
Cynthia non cepit, quæ Vatem ceperat Umbrum,
Non irretitum verſat sùs deque *rozumum,*
His Ego (gratia Dìs) cunctis gero pectus inane.
Totus in hoc labor eſt, hæc unica *troſka* fatigat,
Quod genus amplecti vitaï, quove *żywotum*
Spokoynum pacto poſſim diſponere & annos
Vivere *beſpiecznos,* expers livoris iniqui.
Si quid habes igitur, *wątpliwum* quod iuvet in re
Hâc animum, laxam iam concute quæſo *kapicam,*
Jngeniique tui ſecretas pande *komorkas,*
Unde meis pateat votis *ſkuteczna porada.*
Sic Ego, cum *Mnichus* mox profert talia *ſłowa:*
Eſto animo forti, Juvenum lectiſſime! qui non

Simplice cum zgraia ludziorum, cumque Popello
Te finis arbitrio fortis per devia duci;
Jus tribuens in Te fatis, slepæque Boginiæ,
Cuncta sed uważno perpendis puncta rozumo.
Ergo alios rapient cùm per diversa procellæ,
Quas ciet in rebus mundi Fortuna doczesnis,
Bespiecznum ad lądum tua tuta carina feretur.
Audi igitur Fili! & cordis penetralibus imis
Hæc quæ dicturus sum, słowa reconde Magistri.
Cernis? ut intacto chrosto, krzakoque poziomo,
Subruat annosós Boreæ violentia dębos,
Cumque chatas humiles spernens Jovis ira relinquat,
Turribus incumbit srogus plerumque piorunus.
Sic & in humanis (docet Experientia) rebus
Hæc eadem fieri Fili dość często videmus:
Scilicet ad summos ut qui se wspinat honores,
Sit mage vicinus spadko, propiorque ruinæ,
Quam tamen haud metuit, qui świętam corde pokoram,
Spokoynumque colit kątum, cichumque żywotum;
Quem si quæsieris świato malesanus in isto,
Inter tot rerum turbas, rożnosque tumultus,
Irritus iste tuus fuerit labor, & praca prożna.
Est alibi szukanda quies, si recta monentem
Auscultare cupis, si prawdam nosse laboras:
Scilicet in claustris, umbrisque silentis Eremi.
Magna pobożnorum sic olim turba Virorum
Vixit, quos Thebais, quos Nitria fovit eremo.
Incola Cassini Benedictus sic quoque montis;
Torque alii, quorum si vellet inire rachunkum
Forte aliquis, fecisset idem, quod fecerat ille,
Qui voluit gwiazdas numerare aut æquore rybas.
Namque adeò napchane Viris deserta fuêre,
Sic omnis Pustynia ferax, ut denique Swiatus,
Ne totus fieret μοναχὸς aliquando, timeret.
Sic Pater ille meus biało venerandus amictu,
Swiatło, Decusque meæ Romualdus relligionis
Vixit; cuius ego vestigia pronus adoro,
Depositis świeckis curis, & trans mare missis;
Hocque

Hocque loco, veluti terrestri gaudeo Raio,
Roskoszas myślis vitæ gustando futuræ.
Hoc quoque chare tibi faciundum censeo Fili!
Facturumque reor, cui non cum simplice gmino
Concessum est sapere, aut communi vivere more;
Scilicet obłudnum linquendo per omnia świątum,
Osobnæ ceu nos lecturum commoda vitæ,
Si nędzam cupias mundi vitare doczesnam,
Certus & esse tamen, wiecznæ post funera vitæ.
Tutus ab invidia, (beśpiecznam namque załogam
Paupertas Zakonna dabit) securus ab omni
Fortunæ hìc krzywdâ vives, & mente wesołâ,
Ludziorum passim curas ridebis inanes.
Hæc cecinit Mnichus, sic orsus deinde Prałatus:
Omnia, quæ świeckum poterant ochydzare żywotum,
Quæque tibi stanum poterant zalęcare Duchownum,
Explicuit Patris prudentia summa Wielebni.
Quod si forte tuam subit hæc myśl, wolaque głowam;
Scilicet addici vitæ koniecznie Duchownæ,
Te fieri Xiędzum malim, quàm denique Mnichum.
Nuda tenet Mnichum paupertas, arctaque cella,
At Xiędzo præstat Plebania vasta wygodas,
Olli mesźne datur, wytyczne, dziesiątaque kopa,
Largaque in Odpustis offerta imponitur Aræ.
Quod si stalla premat Templi Cathedralis in urbe,
In Prælatorum cætu gremioque sedendo,
Insignis bullâ złotâ, kappâque decorus,
Pro centum Monachis intratas percipit ille,
Pinguia coroczne quas Præstimonia præstant,
Quasque illi tribuit Praesentia tempore stato.
Quodque licet minimè Mnicho, celebrare wesołas
Ille potest ucztas, aliis pomagare biesiadas;
Non velut odludek ciemnis sese abdere sylvis.
Quas fuge, si mentem tribuerunt Numina zdrowam,
Nam solitudo graves troskas augebit, & æstus
Mağes smutno sine fine ciebit umysło.
Et nemora, & sylvas habeant Zwierzęta, Feræque,
Nos, quia Ludzie sumus, społecznam ducere vitam
Convenit

Convenit omninò, non expedit eſſe Timones,
Slados ludziorum vitantes, cor & edentes.
Plura loqui poſſem, ſed nolo dicere plura,
Non etenim eſt animus *świętam* impugnare *kapicam*,
Tu, ſi recta ſapis, maturo hæc diſcute ſenſu.
Deſiit in *ſłowis* his tandem ſermo *Prałati*.
Quem voce excipiens *Ziemianinus*: non ſinat, inquit,
Juppiter hoc Hammon, procul hoc avertite Divi:
Ut premat ignotum *świato*, te *Puſzcza Bielańſka*,
Puſzcza magis *zwierzis*, quàm *Ludzis* apta Viriſque.
Sed neque Te capiat *Plebania* plena *wygodis*,
Dives agris, dives decimis, pingvique *dochodo*:
Nec Prælatorum violacea *Cappa*; tuumque
Pelliciant animum *złote*, Diſtinctoria, *Krzyże*;
Nil magis inviſum eſt hâc tempeſtate *Kapłanis*,
Nil Monachis toto videas odioſius orbe,
Non iam *Szuta* iuvat, non *Czapka rogata* tuetur,
Non ſontes terret *Klątwarum* robur inerme,
Dumque ferire nequit, *darmo* Cenſura minatur,
Amplius eſt ipſis non Crux metuenda *Diablis*.
Si quid habes igitur ſanæ ſub pectore mentis,
Abiicias curam vitæ Tibi *radzę duchownae*,
Jnvenies aliam Juvenis lectiſſime *drogam*,
Si modo non pigeat *wiernam ſłuchare poradam*,
Tutus ubi inſiſtas, procul à livore remotus,
Beśpiecznoque fruens *kąto*, *pewnoque pokoio*.
Jd verò tibi ſola dabit lectiſſima Coniunx,
Conſors fida thori, *dożywotnio* fœdere iuncta,
Ochłoda in *troſkis*, levimen dulce futurum
Curarum, quotquot circumſtant agmine *Ludzios*,
Hæc utriuſque tuæ ſortis *Towarzyszka*, *gotowa*
Semper erit ſocias ex æquo ſumere curas,
Suavibus & *ſłowis ſmutnas* lenire querelas,
Nierozdzielna Comes, lateris fidiſſima cuſtos,
Pars potior vitæ, *twoiae połowica duſzycae*;
Plus tibi *ieszcze powiem*: divulſi corpora morte,
Żyć będziecie tamen *ſpolnae* poſt funera mentes,
Mors *nieużyta* licet disrumpat ſtamina vitæ.
Nam

Nam quos iunxit amor, vinclisque coërcuit arctis,
Eliſiis Sociæ iungentur vallibus Umbræ.
Vix ea fatus erat *Ziemianinus*, cùm Sophus ille
(Qui mihi ceu *Socrates* noſtris redivivus in oris
Eſſe videbatur) ſic incipit ore *poważno*:
Audiſti *Mnichum*, *wyſłuchaſtique Prałatum*,
Quodque propinavit *Ziemianinus*, jam aure bibiſti,
Ultima *ieſzcze* tibi ſupereſt *praca*, illaque *krotka*,
Ut me verba Sophum facientem, mente *przyiomną*
Auſcultare velis: *Duchownam* non Ego vitam
Vitupero, *Mnichos* laudo pariterque *Kapłanos*,
Quorum vita procul noſtrâ haud ratione recedit,
Utpote quæ cælebs, gaudens exinde *pokoio*;
Votaque quæ faciunt, duo ſunt quodammodo *znośne*:
Paupertas, *Czyſtość*, ſortique accommoda noſtræ;
Trzecie: *Poſłuſzeńſtwo* quod vulgò dicitur, illud
Haud tolerare queo, *bacznum* quia cæcat *umyſłum*,
Eripiens *wolnam* conceſſam à Numine *wolam*,
Et mortale genus veluti iumenta fatigat,
Arbitrii libertatem dum ſub iuga mittit.
His circumſcribi cancellis non tibi *życzę*,
Utilius fuerit *wolnum* ſervare *rozumum*.
Sed neque *żonka* poteſt ex omni parte beatum
(Si tibi vera quies cordi) præſtare *żywotum*,
Commoda tot quamvis numerentur, totque ferantur
Laudes; quas *Ludzis* ignaris poſſe placere
Non *mądris*; qui nempe ſciunt diſcernere fucum,
Et longè norunt incommoda plura *wygodis*.
Nam ſi forte tibi pulchram *poymare* placebit,
Ah! quàm *ciężkie* feret *iarzmo* tua *głowa niebożę*!
Quot vigiles curæ torquebunt; cùm velut *Argus*
Formoſam *będzieſz muſiał* ſervare iuvencam
Nocte dieque tuam; præſtans ſolatia: quod ſi
Claudius officio fueris, *niedołęga*, *niedużque*,
Gachum ſubſtituens ignavo ſponſa marito,
Efficiet Faunum te Meſſalina *rogatum*.
Si *szpetnam* ducas, ah! quanta iniuria cordi,
Poczwaram ante oculos deformem ſemper habere.
Si *Babam poymieſz*? certa eſt tibi *woyna domowa*,
Ah!

Ah! quoties miserande gemes, quotiesque dolebis,
Quis me *uwolnitabit* (clamans) à corpore mortis?
Si iuvenem *Trzpiotum*? quot, quanta incommoda *głowa*?
Si quibus est aliis, levitas huic semper amica,
Jlla domi nunquam quamvis *przykuta* sedebit,
Non *Gospodarstwo*, non resque domestica curæ
Jlli erit; *igraszkis* solis sine fine vacabit,
Companias quærens larvatas, dedita *tańcis*
At si te *mądræ* coniunget *Sztuła* Minervæ,
Przypłacisz drogo mądrościam Palladis huius,
Upupa namque illi, simplexque videbêre *Dudek*.
Contra; stulta tuum societ si *żona* cubile,
Krasna sit illa licet, Venerique simillima *twarzą*,
Formosum corpus tantum valet absque *rozumo*,
Splendida picturis quantùm sine luce *Latarnia*.
Quod si sacra fames auri, argentique *łakomstwo*,
Suaserit Uxorem tibi ducere *Bracie bogatam*,
Jlla *Pani*, tu servus eris, dominabitur illa,
Ostentans *wnioskum*, *swoiumque* superba *posagum*;
Jmperium, nomenque tuum reputabitur algâ
Vilius & *wiechcio*: Si verò ducis *ubogam*
Consortem thalami, *chudissimus* ipse *Pachołkus*,
Jbitis ad thermas, ad balnea vos Hymen ambos
Aucturos numerum nudorum *po ślubie* ducet.
Denique *Szlachcianką* socio si foedere iungas,
Grande supercilium feret illa, *herbisque* tumebit,
Zwycięstwis claros numerans pro dote *Pradziados*.
Quod si Villanam *Dziewoiam*, ruris alumnam
Duxeris, inde tuis ô quanta *ochyda Potomkis*?
Ad patrios *herbos* deerint si Stemmata Matris.
Ergo maritalem cùm tanta incommoda *Stanum*
Circumstent, animoque negent sperare quietem,
J nunc! & *żonam poymando*, quære *pokoium*,
Cælibis exosus dulcissima commoda vitæ.
Quæ numeranda mihi si demùm *wszystkie* fuissent,
Trzebaby mieć centum *językos*, *ustaque* centum
Multi-fidoque *razem* spirantia pectora Phœbo.

F I N I S.